Szaniawski Constantini Feliciani, Ep. Crac: Epistola pastoralis a. 1720.

EPISTOLA PASTORALIS
CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. CONSTANTINI FELICIANI SZANIAWSKI,
Episcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ.

Ex Mandato Ejusdem

ANNO DOMINI M.DCCXX.

IMPRESSA.

CRACOVIÆ,
Typis Franciſci Cezary, S. R. M. Celſiſſimi Principis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Dñi Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodvorſcianarum Ordinarij Typographi.


BIBLIOTHECA JAGELLONICA



CONSTANTINUS, FELICIANUS SZANIAWSKI, DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ.

Univerſo Clero Sæculari & Regulari Diœceſis Noſtræ, Salutem in Domino.



Uàm primùm ad Eccleſiæ & Diœceſis Cracovienſis gubernacula, Divinâ diſponente Clementiâ, ſumus admoti, eâ potiſſimùm ſollicitudinis Noſtræ Paſtoralis, curâ angimur, ac urgemur; ut Gloriam DEI in augmento: diſciplinam Eccleſiaſticam in vigore: Chriſtianam Pietatem in fervore: cunctis regiminis Noſtri diebus, videamus. Hinc memores Apoſtolicæ adhortationis: Attendite Vobis, & univerſo gregi, in quo vos, Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam DEI; hâc Paſtorali Epiſtolâ, VOS FRATRES IN CHRISTO DILECTISSIMI, alloquimur, atq; adhortamur: Attendite unà Nobiſcum & Vos, quicunque opus Miniſterij Sancti

Actor. 20. v. 28.

& Sacerdotalis, ſortiti eſtis; Attendite Vobis, & pretioſo depoſito, quod Vobis creditum eſt. Genus electum ſumus; conſideremus, ne à ſtatu electionis, depravatâ mundi converſatione rejiciamur. Regale Sacerdotium nominamur, & ſumus; dedignemur in ſæculi vilitatem degeneri actionum ſervitute redire. Gens Sancta credimur; videamus, ne alios, ad ſanctitatem erudientes, ipſi reprobi efficiamur. Populus acquiſitionis dicimur; vigilemus, ne Nos, & commiſſum Nobis gregem perdamus. Quapropter emundemus Nos, ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, caveamusq; diligenter, ne lingva, quæ vocat de Cœlo Filium DEI, contra ipſum Dominum loquatur; ne manus, quæ ſanctificantur Myſterijs Chriſti, polluantur ſangvine peccatorum. Sit in mente continuò, ſit ſemper in oculis Noſtris, ſupremus Sacerdotalis Dignitatis Character, ne eidem vel à Nobisipſis, vel ab adverſarijs, macula iniquitatis appingatur. Quanta namque dignitas Noſtra eſt, quòd Patrum teſtimonio nuncupemur: Mundi fundamenta, Chriſtianæ Fidei columnæ, mortalis vitæ Ductores, Coadjutores Redēptoris, Dapiferi Mēſæ Chriſti, Conſiliarij Domini Sabaoth, per quos peccatores redeūt in gratiā DEI. O ſtupendum miraculum! ô ineffabilem poteſtatem! ô admirabilem authoritatem! In timore itaque & tremore conſiderandum eſt: Præſtetne ſicut populum ſic eſſe Sacerdotes? Qui Sacri Altaris ſuggeſtu eminent, tantùm excellere eos oportet meritô, quantùm gradu: quò enim gradus eſt excelſior, eò ruina eſt periculoſior. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum: non enim tanti gaudij eſt, excelſa tenuiſſe, quanti mœroris & ſcandali, de ſublimioribus corruiſſe. Verùmtamen adjiciendum eſt, ut reſurgat animus etiam à lapſu; & quæ vetus error, aut inconſulta ſubruit ignorantia, ſuper nova fundamenta ædificari, aut renovatâ priſtinarum inſtitutionum firmitate elevari, operæpretium eſt. Ad hoc mens & ſollicitudo

citudo Noſtra tendit, ut Charitas Veſtra magis abundet in ſcientia Legis Domini, quæ immaculatè cuſtodita convertit animas, & Sapientiam dat parvulis; ut proberis potiora, id eſt Spiritualia, quæ mundo & carni refragantur: ut ſitis ſinceri in mandatis DEI, à Vobis ſervandis, & populo inculcãdis ſine offenſa in diem Chriſti, ambulantes, in luce & exemplo bonorum operum, in integritate irreprehenſibili in fructu juſtitiæ, in laudem & gloriam DEI; ut non conformemini huic ſæculo, ſed in novitate ſenſûs Veſtri reformemini. Quare Paſtoralis Officij ſpiritu excitati, cupientesq;, ut ea, quæ à SS. Canonibus, Oecumenicis Concilijs, ſummis Pontificibus, & Sacris Congregationibus ſancita, declarata, rata & ordinata ſunt, ſeriæ obſervationi & executioni demandentur; antequam poſt expedita prægnantia, circa Immunitatis Eccleſiæ tuendam Libertatem, & Patriæ Regniq; hujus, procurandam ac conſervandam tranquillitatem, ex munere obligationis & Senatoriæ Dignitatis, ſub tempus Comitiorum imminentium, negotia, ad Viſitationes, Correctiones, Reformationes, aliisq; Functiones Epiſcopales, peragendas deveniamus; Ordinationes, Regulas, Monita, Statutaq; obſervanda, ſolô DEI Gloriæ promovendæ ſtudiô, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelô, proponimus ſequentia.

De vita & Honeſtate Clericorum.

QUi in ſortem Domini vocati ſunt, Divinarumq; rerum miniſterio addicti, illorum in Eccleſia DEI ſtatus is eſt, ut ſi morum gravitate, vitæq; exemplo in dignitate præcellant; aliorum poſt ſe trahant ſequelam, ad piè ſanctèq; more Chriſtiano vivendum; quòd ſi verò in uno cujusvis rei vel minimè offendant genere, lumen, quod ipſis, ad illuſtrandos dirigendosq; in via juſtitiæ homines, ineſſe debet, tenebræ ſunt. Omnis itaq; Sacerdos ſeu Clericus

ita in conversatione se gerat, ut qui ex adverso sunt, specimen virtutum, in ipso existere agnoscant, nec habeant, quid contrà dicant. Vestitum nigrum talarem, pileos item nonnisi rotundos, ejusdem coloris deferant. Quotidie Sacerdos legitimè non impeditus, Sacrificium Missæ celebret, sin minùs, Dominicis & Festis diebus id facere: in alijs verò Ordinibus infra Sacerdotium constitutus, Sacram Communionem sumere, non intermittat. Singulis, autem diebus sive Presbyter, quando ipse non celebrat, sive Clericus inquantum fieri potest, Sacro Missæ intersit. Attendere præterea oportet, ne fortè graventur corda crapulâ & ebrietate, quæ omnis mali origo est, & inimica virtutum. Abstineant à carnalibus desiderijs, quæ militant adversùs animam; quare mulieres omninò vitent, nec eas, præsertim juvenes domi suæ (ex quibus possit suspicio dari vel scandalum) fovere audeant, sine ulla enim dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò labitur in ruinam. Et juxta Divi Cypriani effatum: Cum Clerico fæmina nulla permaneat; non despecta, non vetula, non consangvinea, non affinis suscipienda in domesticum consortium, quia faciliùs delinquitur, ubi sine suspicione, securum esse potest delictum; maximè quia cupidini nulla deformitas, fastidium generat, cùm Diabolus pingens speciosum efficit, quidquid fœdum ac horridum fuerit: suum mulier retinet morem, & hominem semper educit de Paradyso. Familiam alant non discolam, sed laudabiliter moratam, & supellectilem honestam. A comessationibus, præcipuè à frequentatione tabernarum, & hospitio communi abstineant, velut sub hedera præsertim in Civitatibus, non compotent; vitam deniq; ac mores conservent inculpatos, ut Populus Fidelium suæ curæ commissus, videat opera eorum bona: nam quæ leves sunt in laicis culpæ, adeò in Clericis sunt magna delicta, ut etiam illis, os aperire nugacibus verbis,

Trident. Sess. 25. c. 14. de Reformat.

c. Clerici hoc tit.

sit

ſit crimen; aſſveſcere ſacrilegium. Erga omnes perſonas ſe gerant cum humilitate, & ſpiritu lenitatis, ut convertant corda multorum in ſe, & Sæculares alliciant ad Status, & boni Eccleſiaſtici amorem. Coram omnibus deniq; ſibi adhærentibus, ſeq; intuentibus, formam diſciplinæ, verecundiæ, & modeſtiæ, præſeferant. In omni inceſſu, ſtatu, geſtu, vultu, Ordinem ſuum, Sacerdos & Clericus profiteantur, omni Clericalis vitæ actione, religioſi animi mores exprimentes, qui in Eccleſiaſtici Ordinis hominibus lucere debent omnibus, qui ſunt in Domo DEI. Quia verò, de mundano pulvere, etiam religioſa corda ſordeſcere querulatur D. Gregorius, & à depravatis ſæculi moribus Spiritualium mentes infici non ſit novum, etiam inter Clerum, ubi abundaverit delictum, refrigeſcit Charitas multorum; ſtudeant proinde omnes, ſpiritu mentis ſuæ, ſæpiùs renovari, per Exercitia Spiritualia, ſeu Recollectiones, quas per octo, aut quinque ad minimùm dies, Anno quidem præſenti, poſt publicationem præſentium, opportuno tempore, poſtea verò, quolibet biennio, ſinguli Beneficiati, & Vicarij, qui ſunt propiores Cracoviæ & Lublino, in Domo Congregationis Miſſionis, qui verò proximiores Sandomiriæ, apud PP. Societatis IESU, ſub directione docti & pii Patris Spiritualis, in ibidem abſolvent, ſumptu proprio, teſtimoniumq; deſuper, circa quamlibet Approbationem exhibebunt; Talibus enim anima illuminatur, conſcientia purgatur, homo in via Salutis perficitur, & cor, ad amorem DEI ferventiorem, accenditur, ſubſcribente Prophetâ: Et in meditatione mea, exardeſcet ignis. Pſalm. 38.

De Viſitatione Eccleſiarum.

VIſitationis munus, ut potè augendi Cultûs Divini, ac conſervandæ, reſtituendæque Diſciplinæ Eccleſiaſticæ,

oppro-

165

opportunum remedium, ultra Generalem, quam in Persona Nostra, sive per Eos, quos ad id specialiter deputaverimus, DEO adjuvante peragere proposuimus; sacrosanctè, ab his, ad quos de iure spectat & pertinet, sub onere conscientiæ, mandamus adimpleri. Hoc autem ut accuratiùs expediatur, Constitutionibus Provincialibus provisum est: ut viri ætate, moribusq; graves, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, in officio Archidiaconatûs constituantur, qui statutis temporibus, Ecclesias visitent, & ad Episcopum referant, quæcunq; à se animadversa, vel corrigi, vel reformari oportere judicaverint. Constituti itaq; seu deinceps constituendi in hoc functionis genere, incumbendum sibi sciant, ut munus suum non nomine solùm, sed certis Officij partibus, rectè atq; ex ordine Canonicarum sanctionum administrent. Quamobrem, hæc & Nos de eorum officio, pro Diœcesis Nostræ bono regimine statuimus: Habeant Visitatores tabellam distinctam, connotandarum in singula plebe & Parochia Personarum Ecclesiasticarum ibidem habitantium: Si quando verò Beneficiatus ejus plebis & Parochiæ alibi habitet, describant solùmmodò nomen Beneficiati, reditus, & onera Beneficij (nam status plenus erit postea in loco, ubi is habitaverit, describendus) si verò resideat extra Diœcesim; describatur status personalis à parte, in eo loco, ubi invenitur possidere beneficium, inquisitione possibili ubique factâ de eo, maximè circa vitam & mores; & si is absens, etiam aliud beneficium obtineat in Diœcesi, tunc status personalis describatur sub ejus beneficij visitatione, ubi ille residere tenetur, idq; circa hæc: An in Sacramentis administrandis, in Verbi DEI prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium & puerorum, ad Doctrinam Christianam, institutione, & in cæteris omnibus Parochi officijs, diligentis muneris partes per se, vel per Vicarium gerat? Videant item: an populus

Lib. 1. de Offic. Archidiac.

pulus in via Domini ambulet? frequensq; Divinis Offi- 160
cijs, & Sacris Concionibus interſit? num in Eccleſia piè religioſèq; verſetur, atq; dies Feſtos colat? an jejunium Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Statutaq; reliqua Eccleſiæ ſervet? an in populo Sacrilegi, Blaſphemi, Concubinarij, Adulteri, Adulteræve, Inceſtuoſi, Virginum raptores? an Uſurarii, Excõmunicati? an Hæresis, Magiæ, Superſtitionumvè ſuſpicione notati, reperiantur? An qui ex Beneficiatis, ad reſidentiam perſonalem tenentur, præſentes ſint ſæpiùs, & non ſe abſentent, ultrà duos menſes à Parochialibus Eccleſijs? an Parochi, aliiq; animarum Curatores, ſollicitè ut debent, fidelium ſibi commiſſorum ſaluti invigilent? an Miniſtri Eccleſiæ, officio & obligationibus ſuis ſatisfaciant? & in aliquibus, correctione non indigeant? an Scholiregæ honeſti & morigeri, ad inſtituendos pueros, in lectione, ſcriptura, & linguæ Latinæ rudimentis, ſufficientes foveantur? an Eccleſiæ ipſæ ſint conſecratæ? an reparatione non indigeant? &c. &c. Quæcunq; verò animadverterint, vel anteriorum Epiſcoporũ, vel Noſtra ad præſens, ſtatuta, ſeu Synodales Conſtitutiones, vel Reformationum Decreta, nondum eſſe in executione & obſervatione, vel correctionem aut reformationem deſiderare; ea Nobis in occluſo Rotulo notificent. Notarium ad conſcribenda Acta, Inventaria Supellectilis, tum Fabricæ Eccleſiæ, aliorumq; ad exactam Viſitationem requiſitorum: vel ſi Notarium habere præſtò non poſſunt, alium Secretarium, qui tamen Subdiaconus vel Diaconus ſit probatæ fidei, ſecum aſſumant. Munera ultrò etiã, intuitu Viſitationis oblata, nec per ſe, nec per familiares ſuos, pro ſe, aut ſuis, quocunq; prætextu accipiant; quòdſi fortè quiſpiam de ſuis familiaribus aliquid ſumpſerit, puniant, & reſtituere compellant. Quoniam juxta Decretum Gregorij Papæ X, in Concil. Generali Lugdun: per Trident: innovatum, etiam Epiſcopus recipiens

c. Exigit de Cẽſibus &c. in 6.

aliquid à visitatis ultrà victualia, tenetur ad restitutionem
169 dupli: & si non restituerit intra mensem, incurrit Interdictum ab ingressu Ecclesiæ; Inferiores verò ab Officio & beneficio declarantur suspensi, quousq; de duplo hujusmodi gravatis Ecclesijs, plenariam satisfactionem impenderint, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratiâ suffragante; Caveant proinde Visitatores, visitationi subjectos gravare, sed sint frugalitate, & pro posse, honestâ sui sustentatione contenti. Parochus autem seu quicunq; Ecclesiæ Rector, curam animarum gerens, cùm visitandus fuerit, Literas Innotescentiales ad eum finem editas, duobus ante illius terminum, proximè festis diebus, coram populo ad Divina audienda congregato, promulget.

De Congregationibus Decanalibus.

DEcani, ad quos Conventuum seu Congregationum, præcipua cura delata est, noverint, se munus atq; adeò onus sustinere, & grave admodùm ac planè multiplex: in quo scilicet Cleri pietas, moderatio morum, rerum sacrarum studia, & virtutum exercitationes consistunt, utpotè omnis Sacerdotalis, Clericalisvè Disciplinæ firmamenta, ac præsidia vel maxima. Quare Eorum quilibet bis in anno, primis videlicet diebus Mensium, Maij & Octobris, ad locum aliquem Parochialis Ecclesiæ, omnes & singulos Presbyteros ac Beneficiatos, duabus hebdomadibus ante inchoationem, per Literas Innotescentiales viâ cursoriâ transmissas, convocabit, expressis ibidem resolvendorum Casuum punctis, & quæstionum materijs. Postquam verò ad constitutum locum singuli venerint, statim Ecclesiam visitent, DEUM orantes, ut Clerus Populusque, salutarem inde fructum percipiat. Et quia sub tempus celebrationis talium Conventuum, frequens populi concursus esse solet, qui, ceu ad quoddam Sacerdotalium actionum theatrum, confluere moris habet; in omni actu,

gestu

geſtu, ſermone, & officio, unuſquiſq; ita ſe gerat, ut charitatis, pietatis, devotionis, humilitatis & ſanctitatis, exemplis laicos ædificet. Æmulabuntur & ipſi adinvicem chariſmata meliora, bonorũ operũ & virtutũ exẽpla imitantes: Sanctos enim viros, inter ſe congreſſum habuiſſe, memoriæ proditum eſt; ut alius ab alio, mutuum adjumentum acciperet, quô uteretur ad curſum perfectionis. Pridiè diei Conventûs veſperi, paulò poſt ſignum Salutationis Angelicæ, & ipſo etiam die, quô Conventûs celebratur, ſummo manè, ſolemni longioriq; campanarum pulſu, celebritatem hanc populo ſignificent. Ipſo tandem ſolemnitatis die, omnes manè ad Eccleſiam convenient, Superpelliceis induti, & totum Officium pro Defunctis, non raptim, ſed graviter, diſtinctè & devotè abſolvent. Tum Miſſa ſolemnis celebretur, à Sacerdote per Decanum deſignando, pro animabus Defunctorum: alii autem Presbyteri, poterunt votivam de Spiritu Sancto dicere. Abſolutis verò Divinis, unus ex Sacerdotibus ſermonem ad Clerum habebit: de ſtatu vocatione & Obligationibus Eccleſiaſticorum. Quibus taliter peractis ad ædes Parochi deſcendent, ibiq; prandium ſument, omnes ad unam eandemq; menſam (quantum fieri poterit) præviâ benedictione, à Decano faciendâ diſcumbent, ad quam nullus laicus, Eccleſiaſticusvè, qui non tenetur intereſſe, pro illa vice, invitetur. Dum verò corpora ad labores ſuſtinendos cibô reficiuntur, tum mentes potiſſimùm Spiritualibus epulis recreari conveniat; junior vocatione Beneficiatus, refectionis tempore, librum leget de ijs, quæ ad vitam, moresque Clericales, rectè componendos, uſui atque adjumento ſunt. Fercula non ultra quinque apponantur, ne in menſæ frugalitate fiat exceſſus: Comeſſatio deniq; & compotatio omnis, cùm planè ſit indigna Sacerdote, ab omnibus vitetur: Si quis autem contrarium fecerit, in eum Decanus graviter animadvertet, & pecuniariâ pœnâ mulctabit, Xenodochio illius loci applicandâ.

171 Intuitu verò alimentorum, taliter per Decanum pro omnibus comparandorum, quilibet Sacerdos, florenum unum persolvat, per æditnum Ecclesiæ, à singulis repetendum. Prandiò sumptô, & gratiis DEO actis, omnes demùm ad Ecclesiam superpelliceis induti, ordinatè descendent, ibiq; semotis omnibus sæcularibus, invocatâ Spiritûs S. gratiá, juxta senium vocationis sedebunt, exceptô Decanô, qui primum locum obtinens, discursu præhabito, à Iuniore incipiet, & sic ordine, ex reliquis sensum & doctrinam, circa casus conscientiæ resolvendos, explorabit; unusquisq; autem explicitè & distinctim respondeat, opinionemq; suam, non tam è schola, quam ex usu rerum, & scriptis Doctorum confirmet, & locos, unde eam acceperit, recenseat. Si quis ausus fuerit non ex ordine suo respondere, vel interturbare jocis, aut cachinnis, sententiam cuiusvis, vel movere rixas, aut convitia & iniurias alteri inferre; curabit Decanus, adhibitis duobus vel tribus aliis, eos, inter quos orta fuerit contentio, quàmprimùm ad invicem reconciliari, impositâ salutari pœnitentiâ, seu mulctâ pecuniariâ illi, qui culpabilis fuerit adinventus. Omnium votîs auditîs, tandem Decanus sententiam, quam probabiliorem iudicaverit, sequendam declaret, rationes intrinsecas & extrinsecas subijciat, & rerum dubiarum interpretationes, distinctiones, & exceptiones adiungat; falsa à veris, dubia à certis particularia à communibus secernendo, diffidentes inter se Doctorum opiniones conciliando, & quæ tutior doctrina sit, exponendo, & enucleatè explicando. Quæ verò singillatim ab eo sunt connotanda, erunt sequentia: Locus, ubi Conventus habitus est, Annus, Mensis, Dies Conventûs: Qui præsentes adfuerint, qui rursus abfuerint: absentiæ excusationes, quæ legitimæ, quæ item frivolæ; qui Missam solemnem celebraverit, quivè ministraverint: qui deinde reliqui Sacerdotes Sacrificium Missæ dixerint: qui ad populum sermonem habuerit: qui

scanda-

ſcandaloſi, exceſſivi, & correctione indigentes &c. 172
Quæ omnia & ſingula exactè, unà cum reſolutionibus peractis deſcripta, manu ſuâ & Notarij ſeu Secretarij Congregationis ſubſcripta, intra menſem ad Nos, ſeu Officium Noſtrum, in occluſo Rotulo trãſmittet. Ut autem ordo, numerus, ac qualitates Eccleſiaſticorum Nobis innoteſcant, eos de nomine & cognomine Decanus ſpecificabit, in ſeorſiva duntaxat ſcheda, ad Nos, cum aliis tranſmittenda, idq; hoc modô:

Decanatus N. ſub Officialatu N.

Nomen, Cognomen, & à quo tẽpore Sacerdos.	Cui Eccleſiæ deſervit; & à quo tempore.	Sẽſus de vita, moribus, & capacitate.
V. G Titius Bertanſki, ætatis N. Ordinatus à Rñdmo N. Eppo N. anno. & die N.	Parochus Eccleſiæ N, ab annis. N.	Probæ vitæ, exemplaris, doctus &c. vel Malus, ſcandaloſus &c,

Inter alia, in Congregationibus huiuſmodi tractanda, meminerint Decani admonere ſuos Parochos, quatenus unusquiſque, intra limites ſuæ Parœciæ, Cruces in viis publicis, venerationi Fidelium expoſitas, & vetuſtate, aut ventorum vi, collapſas, effigiem Crucifixi, manibus aut capite truncato, vel aliàs deformatam, aut inverſam, præferentes, quæ ſunt reparabiles reſtaurari, quæ verò putrefactæ & deformes, tolli & comburi, curet, novis in earum locum ſubſtitutis: ne per hunc memoriæ Paſſionis Dominicæ neglectum, ſcandalum inter Iudæos, & Hæreticos abundet. Abſoluto tandem Conventu, antequam itineri ſe accingent, Pſalmũ: De profundis, & preces itinerarias

recitabunt, & ſic in pace, ad ſuam quiſque Eccleſiam & reſidentiam revertentur.

De Prædicatione Verbi Divini.

QUoniam legatione fungimur ad eos, quibus hæreditas parata eſt ſalutis, annuntiare de die in diem, veritatem & Salutare DEI, populoq; ſcelera & peccata, ſpiritûs illius mãdato jubemur, qui locutus eſt per Prophetas. Volumus igitur, ut ſocii legationis huiuſmodi, memores obligationis ſuæ, Verbi DEI prædicatione, intendant; parare Domino plebem perfectam. Quare juxta
Seſ. 5. c. 2. de Ref. Decretum S. Concilii Trid. Archipresbyteri, Plebani, & quicunque Eccleſias, curam animarum annexam, habentes, quôcunque modô obtinent, per ſe, vel ſi impediti fuerint, per alios idoneos (idq; Presbyteros, aut ſaltem in Sacris conſtitutos; Clericis Minorum Ordinum raro, ſolum autem habitum Clericalem, ſine Charactere, deferentibus, nunquam adhibitis) diebus Dominicis & Feſtis, populum ſibi commiſſum paſcant, ſalutari cibo Verbi DEI, docendo, quæ omnes ſcire ad ſalutem, eſt neceſſe: annuntiandoq; eis, cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia declinanda, & virtutes amplectendas, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi mereantur, Idcircò ſi quis eorum præſtare id negligenter intermiſerit, etjamſi ſe Ordinariæ Iuriſdictioni, quavis ratione non ſubeſſe, prætenderet, vel Eccleſiæ quôcunque modô exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio etiam extra Diœceſim exiſtenti, forſan annexæ vel unitæ, modò reipſâ in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis ſollicitudo Noſtra non deerit, quominus diſpoſitio huiusmodi Noſtra, circa id adimpleatur. Abſit enim verificari illud,
Thren. 4. quod dictum eſt per Prophetam: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Cui obviando ſupra cita-

tum

tum Tridentinum disponit ibidem: ut qui post admonitionem, intra spatium trium mensium, muneri suo hac in parte defuerint, ad illud exequendum, si necesse sit, per Censuras Ecclesiasticas, aut alias ad Episcopi arbitrium pænas cogantur. Quia verò Doctrina Evangelica teste Apostolo: Non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs consistit; ideò in Concionibus suis, ab illis, quæ sunt ad ostentationem ingenii, subtilitatibus, necnon fabulosis, jocosisq; eruditionibus abstinebunt, sed utilia ad profectum animarum, seria ad depravatos mores corrigendos, prædicabunt; ut totius concionis scopus, & fructus sit, Spitituale animarum lucrum. Nulli unquam hominum statui, aut privatis personis, per aliquam circumlocutionem malitiosè, vel minùs cautè detrahant, nec in eas expresè invehantur, quin potiùs studeant, ut verbô & opere, concilient fidelium animos, non auertant. Diebus Dominicis, finito sermone, dies Festos, Ieiunia, Indulgentias, Censuras Ecclesiasticas, (si quæ sunt publicandæ) denuntient: publicas tum privatas, Ecclesiæ proximorumq; necessitates, Orationibus fidelium commendent. Item Actus Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis; ac pro simplicium informatione, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, voce clarâ, distinctè & intelligibiliter, cum populo dicant; Concione cum his omnibus, non ultra tres horæ quadrantes protractâ. 174 1. Cor. 2.

De Doctrina Christiana.

CHristianæ perfectionis fundamentum Fides, tantam quoad omnes homines, inducit necessitatem, ut quosdam illius articulos, culpabiliter ignorare sit peccatum, quibusdam, etiam inculpabiliter non cognitis, certa consequitur ignorantes damnatio. Proinde cum cuncti, qui Christi-

175 Chriſtiano nomine cenſentur, Orthodoxæ Fidei dogmata ſcire, & credere, niſi audierint, non poſſunt; omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus, mandamus, ut exemplô Chriſti ad hoc miniſterium, & charitate proximi, prudenter accincti, Doctrinam Chriſtianam, ſeu Catechiſmum, fidelibus exponant, eosq; in rudimentis fidei inſtruant, & inſtituant. In Civitatibus quidẽ, ubi populi numerus frequentior, tempore pomeridiano, horâ dimidiâ ante Veſperas, inchoëtur à Sacerdote ſuperpelliceo induto, qui cum omnibus intervenientibus, ante omnia dicet; Pater noſter, Ave Maria, Credo, Præcepta Decalogi, ac pro invocando Superno Lumine: Veni S. Spiritus: ita clarè & diſtinctè, ut audientes percipiant, & vocem illius ſequantur. In Villis autem, ubi rarior habetur concurſus, tempore matutino methodus eadem, ante Miſſam cantatam & Concionem ſervetur. Curabunt verò Catechiſtæ, ea, quæ dicenda erunt, tam enucleatè & familiaribus verbis proponere, ut audiens populus facilè percipiat, & memoriâ firmiter retineat. Initio pauca docebunt, ſæpiùsq; ea repetent, ad reddendum pueros magis attentos & diligentiores. Monebunt præterea catechizandos, ut ſint aſſidui, modeſti, quos non corripiãt aſperiùs, imò potiùs laudent illos, qui repetunt vel recitant memoriter ex doctrina, licèt non adeò benè. Congrueret verò imagines, vel alia minora munuſcula, ſcientibus diſtribuere; ſic enim alliciuntur, & animantur ad meliùs diſcendum. Pauperes quoque & infirmos, qui extra domum exire nequeunt, viſitare, iiſque tradere meminerint Doctrinam Catechiſticam, unâ cum ſalutaribus monitis; ut quibus corporalis ſeu deeſt, ſeu non prodeſt, ſpirituali curentur medicinâ.

Trid. Seſſ. 24. cap. 4. de Refor.

De

SAnctissima Ecclesiæ Catholicæ Sacramēnta, ut sunt internæ externæq; sanctitatis fontes & signa: ita eorum administratio, perceptioq; singularem pietatem, religionem, devotionemq; requirit. Quod tum ex ipsis Mysteriis intelligi potest, tum etiam ex precibus, & Sacris cerimoniis perspicitur, quæ ex Divinis Scripturis, Apostolicisq; Traditionibus desumptæ, ac perpetuò S. Ecclesiæ usu corroboratæ, ad hæc usq, tempora piè retinentur. Sacramenta enim à Christo Domino Salvatore Nostro instituta, & ad communē omniū proposita salutē, cū cælestia munera sint, causæq; Divinæ Gratiæ, solemnibus cerimoniis tractantur, & ministrantur, ut eorum tum administratio sancta sit; tum perceptio plena Religionis. Quare primô locô hæc generatim ponuntur, ut tam qui Sacramenta ministrat, quàm qui sumit, ad pietatis suæ partes breviter instruatur. Primò igitur Parochus, omnisq; Sacerdos, cuius est Sacramenta administrare, memor sit: Sancta sanctè esse tractanda, consideretq; in ministerio Sanctorum se versari, quatenus omni ferè temporis momento, sit expeditus ad tam sanctæ administrationis munus. Quamobrem, cùm alios per Sacramenta purget, atq; illuminet, huic vel maximè studebit, ut ipse vitam purè, castè, & religiosè agat, mentemq; item ac animum ab omni peccati labe purum, adiutrice DEI gratiâ conservet diligenter; nam etsi Sacramenta Divinam virtutem, vitamq; spiritualem, quæ illis inest, nunquam amittant, ea tamen indignè ministrantibus, per culpam lethalis noxæ, mortem afferunt. Itaq; ante omnia sollicitè & intimè cogitare debet: an alicujus peccati mortalis (quod severissimâ cautione Sacerdos evitare debet) sibi conscius nō sit? cuius, si reum se esse agnoverit, priùs sacramentali

Confeſſione illud expiare nitatur, vel certè actum Contritionis perfectæ (idq; circa Sacramenta tantùm neceſſitatis, in periculo adminiſtranda, & ſi copia defuerit Confeſſarii) eliciat. Quâcunq; verò diei aut noctis horâ ad miniſtranda Sacramenta vocabitur (cùm præcipuum id ejus ſit munus, cujus cauſâ à reliquo populo ſeparatur, & Eccleſiæ proventibus ſuſtentatur) nullam tam ſanctis pietatis officijs, moram interponet, imò populum ſæpenumerò quoties occaſio tulerit, accuratè præmonebit, ut cùm opus eſt Parochiali miniſtratione & officio, ſe quàm primùm adeat, & liberè accerſat, nullâ habitâ temporis, loci diſtantis, alteriusuè cuiuscunq; incommodi ratione. Cùm autem taliter accerſetur, abſit, ut verbis vel vultu, vel alio ſigno oſtendat, ſe ægrè iturum, ſed ſalutis illius, cui miniſtrare debet, deſiderio ſe accenſum commonſtrans, verborum benignitate vultuq; hilari, amorem & benevolentiam paternam præſeferente, petenti annuens, ſacro ſe operi, ad quod invitatur, libenter, & quàm celerrimè poteſt, accingat. Dum autem ad miniſtrandum proficiſcitur, recogitet corde, mediteturq; rem quàm ſanctè acturus eſt. Taliter demùm in omni Sacramentorum adminiſtratione ſe gerat, ut non ſolùm actione, ſed totâ ſui compoſitione, etiam illos qui adfuerint, incitet ad pietatem. Cavebit verò ne pro adminiſtratione, ejuſvè reſpectu aut occaſione, aliquid exigat, quocunq; colore & ingenio, ſed quæ gratis accepit gratis miniſtret; ſolis ſpontè & liberaliter oblatis contentus, ſine aliqua vel minima avaritiæ ſupicatione. Cætera deniq; omnia ritè & ordine ſervabit, prout unicuiq; Sacramenti adminiſtrationi, accomodata, ſuis locis ſigillatim diſponuntur. Et quoniam ad Sacramenta, relationem quoq; habent Sacramentalia, eorùm itidem adminiſtratio, ſignanter autem Benedictionum, cum præſcriptis in Rituali cerimonijs, ac omni pietate & reverentia exerceatur. Huc

referri

referri volumus illam, ſecundùm antiquam hujus Provinciæ praxim, Benedictionis ſolemnitatem, quam Parochi, Natalis Domini tempore, Domos Parochianorum, cum ſacris Reliquiis viſitantes obſervant, commendantes, ut cum timore DEI & reverentia peragatur: Quare, ne circa actum hujuſmodi, in Aulis Nobilium, necnon quibuscunq; domibus privatorum, compotationes, ſaltus, aliaq; inconvenientia fiant, ſeriò inhibemus, quinimò Parochis omnibus, prout indecorum eſt, depoſito ſupelliceo, menſis pro tunc paratis accumbere, multò magis ad ſeram noctem moram trahere, & fœcundos calices epotare, interdicimus; quia per hoc Benedictionis miniſterium, vertitur in profanationis argumentum.

De Sacrificio Miſſæ.

SAcroſanctum Altaris Sacrificium, idcircò Miſſa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ ſunt inter DEUM & homines, ſola hæc idonea & condigna per Sacerdotes mittitur Hoſtia ad DEUM, tum ad Chriſtum, qui eſt miſſus à Patre ad Nos, ipſe Mediator DEI & hominum. Imò victima hæc, totius Sanctiſſimæ Trinitatis eſt cultus, per quam, cum qua, & in qua, quotidie à celebrantibus impenditur DEO PATRI Omnipotenti, in unitate SPIRITUS Sancti, omnis honor & gloria. Conſiderent igitur Sacerdotes, quàm puras celebrantiũ manus eſſe oporteat, quæ Panẽ Angelorũ contrectant? quàm cautè cuſtoditã lingvam, quæ verba conſecrationis effundit? quàm ſanctam & caſtam animam requirit, tanti Numinis præſentia? Grande Myſterium! nobis datũ eſt, quod Angelis non eſt conceſsũ: Si igitur præmonemur à Propheta: Mundamini. qui fertis va- *Iſaia, c. 5*
ſa Domini, quãta cordis corporiſq; puritas à nobis exigitur, qui ſumus Bajuli, Convivæ, & Diſpenſatores Chriſti, & Corporis ejus pretioſiſſimi. Tria autem ſunt neceſſaria

ſecundùm Hugonem ad hoc, ut Sacrificium noſtrum placeat DEO, ſcilicet: Fides vera, opera bona, intentio pura. Prima neceſſitas à Sacerdote requiritur eliciendæ veræ Fidei, & aliorum actuum: Amoris ſpei, humilitatis, & timoris ex ratione præſentiæ Divinæ; invoctionis SS. Angelorum, & SS. Patronorum. Secunda bonorum operum per Sacramentalẽ Confeſſionẽ, contritionẽ verã, exercitia pœnitentiæ & mortificationis, per pias orationes, vel maximè præviam ſemper devotam & attentam recitationem Officii Divini, ſaltem Matutini cum Laudibus, tum præparationis ad Miſſam: per externam pariter in celebratione Miſſæ corporis modeſtiam, ſine jactatione oculorum, cum omni geſtuum gravitate. Tertia neceſſitas prætenditur intentionis puræ: ad gloriam DEI, & utilitatem animæ ſuæ, & audientis populi ac aliarum animarum; non ex ſpe aut deſiderio lucri, mercedis, aut alicujus quæſtûs abuſivi. Quodſi ab aliquo invitari Sacerdotes, etiam Regulares, ad Capellas vel Domos contingat pro ſacris peragendis, nullo modo ibi celebrent, niſi viderint locum, cum debitis apparamentis, honeſtè exornatum & accomodatum, ac licentiam vel à Sede Apoſtolica, vel à Nobis ſeu Officiali Noſtro Generali in ſcripto conceſſam, prætextu cujuſcunq; Privilegii non obſtante; omnia enim ejuſmodi Privilegia, quibuſcunq; à Summis Pontificibus indulta, jam per Tridentinum Concilium ſunt abrogata. Circa quod Decanis locorum cõmittimus, ut à notitia præſentium habitâ, quantocyùs, expoſt verò quolibet anno, Capellas & Oratoria, quæ in eorum Decanatibus reperiuntur, adeant, revideant, Indulta examinent, & ſi quorum tempus præfixum exſpiraverit, Sacrificia ampliùs celebrari prohibeant, ſi verò ſint in decurſu, nova tempeſtivè procurari urgeant; Magnates & Nobiles, quorum favore, tales facultates conceduntur, quatenus ſolemnioribus feſtivitatibus, in Indulto ſpecificatis

Trid. Seſſ. 22. Decr. de Celebr. Miſſarum.

&

& quando aliàs opportunè possunt, ad Ecclesiam pro audienda Missa descendant, familiâ domesticâ (eâ duntaxat exceptâ, cuius præsentia domi omninò necessatia) quolibet die Dominico & festo celebri, ad Ecclesiam compulsâ: informent & commoneant. Missam autem vigore Indulti in talibus Oratoriis, unam tantùm nō ampliùs, celebrari permittant. Caveant verò Parochi ne populus frustretur, & privetur meritô Sacri audiendi diebus Festis, & aliis, in quibus de præcepto Missa audiri debet, ideo pro tūc se quocūq; prætextu ab Ecclesia non absētēt, nisi alium Sacerdotem in sui locum, celebraturum substituant. In Ecclesiis suis, earumq; Sacrariis, Altaris ornatus mundos & nitidos assetvent, videlicet: Pallas, Corporalia, Purificatoria, & Albas Sacerdotales: Mappas ternas super quolibet Altari, Calices expurgatos, & intùs saltem in cuppa deauratos; Pyxide ad conficiendum in ea sangvinem Christi, penitùs non utantur: Vinum acidum, quod facit dubium, aut tollit valorem Sacrificii, nunquam adhibeant; Ritus & Rubricas tam Officii Divini, quàm Sacrificii Missæ, Breviarii, & Missalis Romani observent, nec extra præscriptum illarum in Directorio, Patronos, aut Missas dicendas, (nisi fortè Privilegio suis Ecclesiis indultas) assumant, præcipuè ex iis, quæ tantùm Regularibus concessæ. Vagos deniq; quoscunq; & ignotos Sacerdotes sine testimonio de vita & honestate, ac sine Formatis promotionis ad Ordinem Presbyteratûs; Regulares autem sine Literis Obedientialibus, & cōmendatitiis suorū Superiorū, cujuscunq Regulæ & Instituti existant, aut cum scandalo in via pravitatis ambulantes, ad celebrandū tremendū Missæ Sacrificium, & Confessiones audiendas, sine expressa Licentia & Approbatione Nostra, non admittant. *Decret. cit. Trident.*

De Ordinandis & Sacris Ordinibus.

181 NOn ſine gravi detrimento gloriæ DEI, animarumq; periculo evenit, quòd intelligimus, plures paſſim ad Sacros Ordines currere, & ipſis quoq; Angelicis formidanda humeris miniſteria, apprehendere, ſine reverentia, ſine conſideratione, non ut dignè & pro obligatione ſtatûs impleant vocationis debitum, ſed magis contaminent Characterem Ordinis; non ut meliores, ſed ut ditiores; non ut ſanctiores, ſed ut honoratiores efficiantur. Quare licèt mundus plenus ſit Sacerdotibus, pauci tamen ſunt, qui ſcientiâ & morum probitate digni reperiantur, ad hujus onus officii. Juſtum autem eſt, multa benè perpendi, ut dignitas Sacerdotii, illiuſq; officium cognoſcatur.

1. Timot. 5

Quoniam Nobis ſpecialiter præcipitur: Ne manus cuipiam citò imponamus, & illum honorem tribuamus ante maturitatem annorum, ante examen capacitatis, ante probationem vocationis, ne ſcilicet communicemus peccatis alienis, ſi efficiamus talem ordinatum, qualis fuit, qui non meruit ordinari, nam utiles Operarios Eccleſia DEI poſtulat, cùm Ordo debeat eſſe ſanctitatis ſpeculum & exemplar. Ideò circa aſſumendos, ſcientiâ, vitâ, & exemplô maximè probatos, ſtatuimus: ut quiſque ExtraDiœceſanus, ante ſuſceptionem Ordinum, Dimiſſoriales Literas ab Epiſcopo ſuo, unà cum teſtimonio ſuper vita, morum honeſtate ac ſcientia; Diœceſani verò Noſtri, à ſuis Parochis, tam originis, quàm domicilii, ſuper natalibus, ætate, moribus & vita; à Profeſſoribus, ſub quibus ſtudia tractaverint, Literaturæ Teſtimoniales, exhibere teneantur. Demùm Examen generale ſubeant, quod à Perilluſtri Archidiacono, cum aliis ad id ſpecialiter aſſumptis peragetur, tempore in Literis Innoteſcentialibus deſignando, diebus videlicet tribus continuis: ita ut primô & ſecundô, examinentur omnes ſæculares Clerici, ad quemcunque Ordinem promovendi, tertio verò die, Monachi & Regulares, cujuſcunque Ordinis & Inſtitu-

Trid. Seſſ. 23. c. 8. de Reformat.

Idem Seſſ. ead. c. 5. eod. tit.

Idem. Seſſ. 23. c. 3. de Reformat.

ſtitu-

ſtituti, quos omnes (niſi qui ſpecialibus ab hoc excepti ſint Privilegiis) huic examini ſubiici volumus. Exercitia quoque Spiritualia, pro Ordinibus hîc ſpecificatis aſſignata, quatenus per eos in Conventibus propriis abſolvantur, ac teſtimonium deſuper, in Literis Dimiſſoriis exprimatur commendamus; qui verò ad prædictum examen die præfixo non comparuerint, à Cathalogo promovendorũ, noverint ſe reiiciendos. Examinandi igitur pro ordinatione, tam Sæculares quàm Regulares, requiſita habebunt, ultra hæc, quæ ſuperiùs innuuntur, ex infra deſcriptis colligenda.

Idem Seſſ. ead. c. 12. eod. tit.

De Prima Tonſura.

PRima ad Ordines diſpoſitio eſt Tonſura, quæ ut legitimè conferatur, ſuſpiciaturq; hæc in tonſurando requirit: Ætatem ad minus VII. annorum. Confirmationem. Notitiam Rudimentorum Fidei. ſcribendi, legendiq; peritiam. Conſtetq; de ipſo, quod non in fraudem Iudicii ſæcularis fugiendi, ſed ut DEO fidelem præſtet cultum, ſtatum Clericalem amplectatur. Ut autem, cum hac diſpoſitione, ſubjecta ad ſtatum Eccleſiaſticum benè diſponantur, potiſsimùm ex eo, quod hæc limen omnibus, in ſortem Domini vocatis, ad Sancta Sanctorum aperiat, ſervandum fore immutabiliter ſtatuimus, quatenus ſinguli, Tonſurâ & Minoribûs Ordinibûs initiandi, Exercitia Spiritualia ſeu Recollectiones, in Domo Congregationis Miſſionis in Stradom, diebus, quinque ante examen, unâ cum Confeſſione generali, abſolvant; ſpiritum vocationis ſuæ, ſi ex DEO eſt probaturi.

Trid. Seſſ. 23. c. 4. de Reformat.

De Minoribus Ordinibus.

183 AD Minores Ordines aspirantes, ideò fortasse per interstitia temporis promoveri debere, Decreta Conc.
Sess. 23. c. 11. de Ref. Trident. & Rubricæ Pontificalîs disponunt, ut paulatim ascendentes, in lingvæ quoq; Latinæ intelligentia, quam in talibus dictum Concilium requirit, proficere non omittant. Quia verò omnes simul quatuor Ordines conferri, (prout id arbitrio Nostro relictum est) sæpiùs evenit; volumus ut humanioribus saltem studiis eruditi, aut actu Rhetoricæ operam navantes, ordinandi accedant, taliter-
Ibidē c. 6. eod. tit. que promoti Habitum & Tonsuram Clericalem deferant, & in Seminario Clericorum, aut aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Nostra vel Officii Nostri, quasi via ad Majores Ordines suscipiendos versentur, aliàs Privilegio fori sciant se non gaudere.

De Sacris Majoribus Ordinibus.

QUoniam dignos duntaxat, & quorum vita immaculata senectus dici possit, nec probandos, sed probatos eligi oportet, ad Sacrum Majorum Ordinum officium, quatenus suæ quisq; pro ratione gradûs obligationi sufficiat, & vel ad Altaris Ministerium, vel ad curam animarum capessendam habilis & idoneus adinveniatur; ideò ad Subdiaconatum & Sacerdotium, sæculares promovendi, ante susceptionem Ordinum per octo dies, pias meditationes seu spiritualia Exercitia, in Domo Cracoviensi Congregationis Missionis in Stradom, Regulares verò in suis Collegiis seu Monasteriis, priùs absolvant. Si extra statuta ab Ecclesia tempora, vel non servatis Interstitiis, ordinari petierint, Dispensationem super hoc, à quo de jure, Nobis exhibendam procurabunt omnes, etiam Regulares, nisi expressum Nobis desuper produxerint Privilegium, vel necessitatem secum dispensandi allegaverint. Qui taliter promoti, singuli sui Ordinis ministerium

ſterium exercebunt in ea, cui adſcripti ſunt, Eccleſia; ut bonorum morum ſuffragio, & functionis exercitio, digni gradu, quem conſecuti vel conſecuturi ſunt, reddantur. Antequam autem ad Ordines, quibus nondum ſunt initiati, promoveantur, anteriorum Ordinum, per literas vulgò Formatas nuncupatas, fidem facient. Producent deinceps Titulum Beneficij, aut Patrimonij, aut Proviſionis, Teſtimonium item natalium, atq; ætatis, quæ ad ſingulos Ordines requiritur talis, videlicet: Ad Subdiaconatum annus vigeſimus ſecundus. ad Diaconatum, vigeſimus tertius. ad Presbyteratum vigeſimus quintus, ſaltem inchoati; quibus deficientibus nemo promoveri poterit, niſi Diſpenſationem deſuper habuerit. & niſi in quolibet Ordine in antè ſuſcepto, probatus, & inſtructus fuerit.

Trid. Seſſ. 23. c. 14. de Reformat.

Seſſ. ead. c. 12. eodem tit.

De Baptiſmo.

BAptiſmus meritò inter Sacramenta primum locum obtinet, quia eſt janua, per quam nobis patet aditus ad Cœleſte Regnum: niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt eſſe particeps hæreditatis æternæ. Quia verò eſt Sacramentum neceſſitatis, Sacerdos circa illud ritè conficiendum, diligenter omnia, præcipuè in quibus valor ejuſdem conſiſtit, obſervabit. Ante omnia, ne in caſu neceſſitatis infantes ſine Baptiſmo mori contingat, Parochi inſtruent obſtetrices, quæ intentio, forma, materia, & earum applicatio requiritur; ac ex ordine, quomodò in neceſſitate baptizandum erit, eaſdem edocebunt. Quodſi contingat aliquando infantes, taliter per obſtetrices baptizatos, ſupervivere, eoſdem ad Eccleſiam deferri facient, & ceremonias ante omiſſas, in Rituali pro caſu hujuſmodi notanter deſcriptas ſupplebunt; aut ſi prudenter judicaverint expedire, vel de valore dubitaverint, ſub conditione baptizabunt. In pri-

Cement. 1. hoc tit. 185 vatis tamen domibus, nisi imminente gravi periculo, aut obtentâ desuper à Nobis, vel Officiali Nostro Generali, in scriptis licentiâ, Sacramentum hoc administrare nullus unquam præsumat; quinimò nec in domibus Magnatum & Nobilium id attentet, sine hujusmodi licentia, per quam, si cuipiam baptizandi domi infantes talium personarum, facultas concedatur, omissis cerimoniis solitis, non baptizet, cùm sæpè hæ, non sine gravi contemptu ad maturiorem usq; taliter baptizatorum ætatem, differuntur, & aliquando fortasse prorsus intermittuntur. Hortentur deinde Parochi Matronas Nobiles, ut pro Benedictione consveta post partum, ad Ecclesiam descendere non erubescant, quibus illam in domibus impertiri, quòd est contra stylum Ritualis, easdem ingredi in templum DEI, & adorare Filium MARIÆ Virginis præcipientem, omninò interdicimus. Nonnunquam evenire solet, per ignorantiam, in cognationis impedimento ex Baptismo proveniente, contrahi inter fideles Matrimonia, in quibus aut non sine peccato cohabitatur, aut illa non sine scandalo dissolvi possunt; idcirco mandamus, ut duobus duntaxat admissis, unô scilicet & unâ Patrinis, illos Parochi præmoneant, quod inter eosdem, & inter baptizatum, hujusq; Patrem ac Matrem cognatio Spiritualis contrahitur; ita tamen, ut non Patrini secum, sed cum baptizato, batizatiq; Patre & Matre, cognati dicantur. Præterea si plures concurrant: distinctim, qui sint levantes, qui assistentes, in libro Metrices describant.

Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref. Matr.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PArochus, seu quicunque Sacerdos approbatus, hortetur fideles sibi commissos, ut non solùm ad Confessionem tempore ab Ecclesia præscripto, nempè Paschatis,

sed

ſed quàm frequentiſſimè accedant, pro obtinenda venia peccatorum, & lucranda Gratia ſanctificante. Et quoniã Miniſter hujus Sacramẽti, Iudicis & Medici ſimul officium gerit, ut & tanquã Iudex, ex varijs peccatorũ generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, quovè modo corrigenda, pro cujusque pœnitentis ſtatu & conditione, judicare poſſit: & tanquã medicus, ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius animam ſanandam, & in poſterùm contra vim morbi muniendam, aptiora videntur, operæpretium eſt: ut is tum prudentiâ & judiciô, tum ſcientiâ atq; eruditione polleat, comparatâ partim ex Divina gratia, quàm aſſiduâ precatione à DEO ſupplex poſtulet; partim ex Authoribus probatis, qui eam materiam probè planéq; tractant. In primis autem bene cognita habeat, quæ monitis ſeu inſtructionibus in hac Epiſtola Noſtra Paſtorali, ad præſens editis, ad Confeſſariorum uſum continentur. Sacramenti igitur hujus doctrinam omnem rectè noſſe ſtudebit, ita, ut quæ ſit illius eſſentia, qui effectus, quæ partes, quæ earum partium vis & natura, peritè intelligat: Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoſcat: peccati circumſtantias dignoſcat, quæ pæſertim mutant ſpeciem peccati, quæ illud aggravant, quæ in confeſſione ſunt explicandæ; quæ itidem reſtituendi obligationem inducant: Cenſurarum vim & rationem benè intelligat, & quibus criminibus ſint annexæ: Casus reſervatos in promptu habeat, & ſæpiùs in memoriam revocet, ut rectè noverit, qui jure Canonum Summo Pontifici, qui rurſus Ordinario, qui præterea in Bulla Cænæ Domini, quiq; pro varietate temporum Epiſcopo ſpecialiter ſint reſervati. In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex neceſſitate, vel ratione urgenti : quæ cùm acciderit, in Oratorio, vel certè in decentiſſimo loco, id præſtare non intermittat, idq; Superpelliceô ac Stolâ violaceâ ornatus. Ipſi quoq; Sacerdotes in Sacrario ordi-

Seſſ. 14. c. 5. hoc tit.

 nariè

187 nariè confiteantur, nec induti ut sæpè fit Albâ, Stolâ, aut Superpelliceo, quod est contra morem & præscriptum Ecclesiæ. In publico, Sacramentum Pœnitentiæ administrando, vultu & oculis ita compositis se quisque in confessionali collocet, ut revera ostendat, se de pœnitentis salute paternè sollicitum, adeò ut nullo penitùs signô inspectantibus indicare possit, se gravitate sceleris alicujus commoveri. Prudens, cautusq; sit in interrogationibus, substantiam aut circumstantias peccati concernentibus, ne rudibus præsertim, atq; utriusq; sexûs junioribus, ad novum & nunquam antea attentatum peccatum, occasionem aperiat: hi tamen, si peccatorum, in quibus probabiliter deliquisse existimari possunt, nullam in Confessione mentionem fecerunt, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore, aut metu peccata occultantes, pro justificatis sacrilegi efficiantur. In pœnitentijs imponendis habeat rationem statûs conditionis, sexûs, & ætatis. Cavebit nihilominùs Confessor, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, nam Divinæ, literæ, ab ijs, qui pœnitentiam agunt, hoc exigunt, ut fructus dignos faciant pænitentiæ; imò Concilium Trident:
Seß. 14. c. 8. hoc tit. docet: alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui cum pœnitentibus indulgentiùs agentes, levissima quædam opera, pro gravissimis peccatis injungunt;
Idem Seß. 24. c. 8. de Refor. ideò quoq; disponit: si quis graviter publicèq; peccaverit, ei publicam pœnitentiam, pro gravitate criminis, esse imponendam. Pro ratione Præcepti Ecclesiæ omnes Christi Fideles, sub mortali obligantis, ad Confessionem & Communionem Paschalem, quotannis peragendam, inculcamus Parochis præcipimusq; ut omnes suæ Parochiæ subjectos, incipiendo ab his, qui septimum ætatis annum expleverunt, per aliquem Ecclesiæ Ministrum fideliter describi, & ordine villarum Parochiæ disposito, ex qualibet villa distincto die ad Ecclesiam convenire, & Con-

fessi-

fessionem ac Communionem, quotannis absolvere faciant; exactionibus prætextu schedularum, multò magis laboribus servilibus, intuitu audiendæ Confessionis, eosdem non gravantes. Quicunque ex Parochianis, Confessionem & Communionem sic præceptam, negligenter omiserint, contra eosdem jure agant, vel illos ad Nos, seu Officium Nostrum deferant. Quolibet verò tempore, præsertim diebus Festis, in administranda Pœnitentia Sacramentali, semper se diligentes exhibeant.

De Approbationibus ad Confessiones.

MAgni momenti officium inest Sacerdotibus, conscientiarum nempè Christi Fidelium, in Confessionibus Sacramentalibus, judicium, ad quod exercendum, utrum habiles & idonei inveniantur, examine eruditorum Virorum ad id specialiter destinatorum probari, illorumq; testimonio per Nos, seu Vicarium Nostrum Generalē, approbari debent. Nihilominùs tanta inter nonnullos irrepsit temeritas ab ignorantia proveniens, ut dùm alios Sacramentum Pœnitentiæ, sine Ordinarij approbatione, administrare vident, ipsi quoq; errorem trahentes in exemplum, similiter non approbati, Confessiones fidelium excipere præsumunt. Quare Parochi, si in eorum hæc aguntur Ecclesijs, temerarios hujusmodi, Officio non deferentes, quinimò sæpiùs Parochianis coram talibus Confessionem facere permittentes, & ipsi peccatis eorum communicant, & periculum invalidæ absolutionis, in conscientias Parochianorum inducunt. Ne itaq; ejusmodi committantur errores, & animæ Christi fidelium, in re tam gravi fraudentur, monemus, & præcipimus: ut Regulares in suis Ecclesijs aut Capellis, Parochi verò & quivis Beneficiati, in suis Parochijs, tam Sæculares quàm Regulares Presbyteros, ad juvamen in excipiendis Confessioni-

Trid. Sess. 23. c. 15. de Ref. 109

sionibus, admittere non audeant, nisi priùs in examine sufficientes ad id reperti, per Nos, aut Officium Nostrum fuerint approbati; Privilegijs quibuscunq;, tam Sæcularibus quàm Regularibus, aut Monialium Confessarijs, à Sede Apostolica indultis, non obstantibus. Evenit sæpiùs, nonnullos tam Sæculares, quàm Regulares Presbyteros, per Parochias titulô & prætextu alicujus Missionis, cursitare & divagari, qui talis Missionis, aut quocunq; alio colore, extra claustra Conventûs & Monasterij, ac Beneficia suarum Provisionum divagantes, & in alienam messem falcem mittentes reperti, per Nos, seu Officium Nostrũ moniti, si ab hac temeritate, non destiterint; contra illos ad pœnas in Iure præscriptas, nullis exemptionibus & Privilegijs suffragantibus, seriò & rigorosè procedemus. Grandis est passim error & præsumptio, quòd plures tempore Approbationis elapso, ulteriorem procurare, & obtinere negligunt, sed in spem obtinendæ, aut ratihabitionem aliquam prætendentes, per tempus notabile, Confessiones excipiunt; hanc temerariam præsumptionem abolere volentes, ne aliqui id (nisi fortè in casu extremæ necessitatis, in mortis scilicet articulo, quando etiam nonappprobatis dummodò Presbyteris, Confessiones moribũdorũ excipere, eosdẽq; validè absolvere, est permissum) attentare audeant, sub pæna suspensionis ipso facto incurrendâ, seriò monemus, & inhibemus.

De Casibus Episcopo reservatis.

AUthoritas & Jurisdictio Superiorum eminere non posset, si inferiores parem sibi usurpare præsumerent. Licèt itaq; quilibet Sacerdos in collatione Sacri Ordinis Presbyteratûs, ligandi atq; solvendi potestatem, per approbationem verò sui ab Ordinario, jurisdictionem hujus potestatis exercendæ accipiat, necesse tamen est, ut

graviora

graviora delicta, cùm majori Superiorum animadverſione indigeant, non à quibusvis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus, abſolvantur; quo delinquentes per neceſſarium recurſum, à graviter peccando arceantur. Idcirco Nos, ſaluti animarum pro Officio Paſtorali, magis ac magis providere cupientes, omnibus & ſingulis tam ſæcularibus quàm Regularibus, etiam Patribus Societatis JESU, quocunq; Privilegio aut Reſcripto S. Sedis Apoſtolicæ ceſſante, ſub nullitate abſolutionis prohibemus: ne ſine ſpeciali à Nobis facultate obtenta, quenquam, niſi fortè in mortis articulo abſolvere audeant, à Caſibus inferiùs deſcriptis, quos Sedi Noſtræ Ordinariæ reſervamus, ut ſunt: Homicidium voluntarium. Malitioſa abortûs procuratio, etiam non ſecuto effectu. Oppreſſio infantium, ex temeraria in eodem ſecum lecto collocatione. Immunitatis Eccleſiaſticæ violatio. Blaſphemia in DEUM & Sanctos. Sortilegium, Divinatio, Veneficia. Incendium voluntarium. Literarũ magni momenti, Monetæ & menſuræ communis, falſificatio. Rerum poſt defunctos Clericos raptus & detentio. Eccleſiaſticarũ rerũ in qua emptio. Levis percuſſio Clerici. Stuprum per vim illatum. Inceſtus, Et in materia furti, ac incontinentiæ, ſacrilegiũ. Ultra alios de jure communi & conſvetudine, Sedi Ordinariæ reſervatos.

De Matrimonio.

SIcut omnia à Chriſto Domino in Eccleſia inſtituta Sacramenta, eò quòd gratiam conferunt, immenſi valoris & excellentiæ exiſtunt, ita paris eſt Matrimonium. Proindè ut debito non fruſtrentur effectu, qui illud inter ſe contrahere, & pro ſocialis vitæ tractu, DEI benedictionem obtinere intendunt, quatenus onus hoc, non unius quidem diei, ſuaviùs ſupportare valeant; animam ſuam

per

per juſtificationem præparare tenentur. Quia verò profectus in virtutibus, & ſalus animarum populi, Eccleſijs jure Parochiæ ſubjecti, Rectorum earundem curæ & ſollicitudinis eſt; monemus Parochos, ut accedere ad hocce Sacramentum volentes, præſertim ſimpliciores non ſtatim admittant, & benedicere audeant, niſi priùs Sponſos Myſteria Fidei ſcire cognoverint, ſuper quibus illos examinent, & Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decem DEI Præcepta & Eccleſiæ, Myſterium SS. Trinitatis, ſeptem Sacramenta, & alia ad ſalutem Animæ tam de neceſſitate medij, quàm præcepti neceſſaria, recitare jubeant; & dum eos hæc nôſſe adinvenérint, ad Confeſſionem Sacramentalem faciendam, & Sanctiſſimam Euchariſtiam devotè ſumendam, inducant, & tunc primûm taliter rudimēta Fidei ſcientes, Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ munitos, non aliâs, Matrimoniali benedictione copulent. Contingit frequenter, quod aſſiſtentes benedictioni Matrimonij, quandoq; etiam ipſimet ſponſi bene poti, ad Eccleſiam cum choreis & inſtrumentis Muſicis veniant, undè aliquando tumultus, inter temulentos excitari, non ſine ſcandalo ſolent. Idcirco Parochi, frequenter Parochianis poſt Conciones inculcent, illosq; admoneant, ut ſponſi, & alij omnes Aſſiſtentes, in omni modeſtia, ſobrietate, ſine muſica (niſi fortè procul ante Eccleſiam relictâ) idq; de manè, pro audiendo primùm (inquantum poſſibile eſt) S. Miſſæ Sacrificio, ejus tempore opem Spiritûs S. pro felici ſtatûs ſui ſucceſſu imploraturi, ad Eccleſiam accedant; quoties verò illos temulentos circa talem actum adinvenerint, Matrimonium non benedicant; Sacramentum enim hoc, ſtatum gratiæ & reverentiam exigit, tum quia ſponſi juramenti ſui, Aſſiſtentes verò teſtimonij memores, adeoq; ſobrij & benè ſibi præſentes, eſſe debent. Cautos quoq; & circumſpectos Parochos eſſe volumus, ut perſonas extrane-

trane-

traneas, & quocunq; modò adventitias, ac peregrinas, Literas testimoniales non habentes, aut aliquando confictas afferentes, Matrimonij benedictionem petentes, non aliàs, priusquàm testes fide dignos ad minimum duos, qui hujusmodi personas noverint, statuant: hos verò super impedimentis Matrimonij, strictè & accuratè examinent, & juxta dispositionem Concilij Trid. ad Nos seu Officialem Nostrum Generalem, re hujusmodi delatâ, & facultate desuper obtentâ, matrimonialiter copulent. *Sess. 24. c. 7. de Ref. Matrim.* Irrepsit inter nonnullos abusus, quòd duabus tantùm denuntiationibus præmissis, aut tertiâ circa actum benedictionis, die etiam profesto, factâ, Matrimonium benedicant, & hoc idem quatenus fieri possit, interdum ipsimet Parochi indulgent. Proinde pravam hanc, ubicunq; reperitur, consvetudinem abolere volentes, districtè sub pœna suspensionis, & alijs arbitrarijs præcipimus Parochis, & eorum Vicariis, ne quocunq; prætextu, inter quascunq; personas, tribus nõnisi denuntiationibus seu bannis, diebus Dominicis vel Festis, ijsq; interpolatis, ex ambona præmissis, Matrimonium benedicere, idq; semper in facie Ecclesiæ, nisi aliàs per Nos, vel per Officialem Nostrum Generalem, dispensatum fuerit, audeant & præsumant. (Præcipimus autem notanter observari, ut Matrimonium nunquam in Ecclesiis Monialium benedicatur, tum & Sacramentum Baptismi administretur, tantò magis, si Ecclesia Parochialis, Monasterio alicui sit unita vel annexa). Et quoniam ad contractum hunc Matrimonialem, spontaneus & liber utriusq; sponsi consensus requiritur, alias vis & metus illud impedit & dirimit: contingere verò aliquando solet, ut Filii à Parentibus, servi à Dominis, pupilli à Tutoribus vel Curatoribus, ex variis prætextibus, ad ineunda Matrimonia cogantur. Inhibemus Parochis & Vicariis, ne, si talem coactionem injustam intervenire noverint, ullatenus Matrimonio assistant, nisi sponsi liberè ac spontè, ad contrahendum illud

 accesse-

accesserint, & consensum mutuum, verbis expressis, & disertis ita ut ab adstantibus audiri queant, elicuerint. Non minoris etiam adversionis esse censemus, quòd pleriq; Matrimonio ritè & legitimè cum Authoritate Ecclesiæ contracto, immemores effati Salvatoris Nostri: Quod DEUS conjunxit, homo non separet; illud solvunt, dum ex quodam mutuo consensu, aut aliâ quàvis causâ, privatâ Authoritate sese ab invicem separant, & sæpe incontinenter & concubinariè, cum scandalo, salutisq; suæ periculo, vivũt; ac proinde huic malo, tum perniciei Animarum obviando, ante omnia, ejusmodi mutuas & condictas separationes, sine Authoritate & cognitione Nostra seu Officii Nostri, illicitas, nullas, & irritas prout de facto sũt, etiã nũc pronuntiamus, & declaramus: Quodsi in aliqua Parochia, ejusmodi personæ repertæ fuerint, quatenus Parochi, inprimis illas ad mutuam cohabitationem, salutaribus monitis impellant, pertinaces verò & in malo hujusmodi statu persistentes, ad Nos, Officiumq; Nostrum deferant, injungimus & mandamus.

De Monachis & Regularibus.

SAcrorum Ordinum Instituta, ab Ecclesia Sancta recepta & approbata, quantò frequentioribus Monasteriis, Conventibus, Collegijs, Diœcesim Nostram replent, condecorantque, tantò majorem à Nobis merentur protectionem, defensionem ac conservationem; erit autem sollicitudo Nostra in ijs præstandis alacrior, si fuerit omnium Regularium, in his quæ Nostræ Authoritati, quocunq; titulo debentur, reverentia & obedientia promptior. Non diffitemur, plures Religiosos Ordines, gratiosis, à S. Sede Apostolicâ, gaudere Privilegijs & exemptionibus, quibus Nos nullatenus volumus præjudicare; nihilominus, quia Nobis, ex Canonicis & Apostolicis Sanctionibus, præcipuè

verò

verò Decretis SS. Concilij Tridentini, multa desuper competunt; proindè omnes Religionum Superiores, postulamus & in Domino hortamur, quatenus in suis Monasterijs & Conventibus, in Diœcesi Nostra constitutis, Divinum Cultum, Regularem observantiam, & virtutum profectū, promoveri & augeri, sibique & suæ curæ commissos, in disciplina Religiosa juxta præscriptum Instituti cujusvis exerceri satagant, non sperantes fore, ut in delinquentes, & vocationi suæ non respondentes, pro Officio Nostro animadvertere cogamur. Qui igitur, mundi hujus tumultus fugientes, intra limina Sacrorum Ordinum, benevolè se recluserunt, non tam muris, quàm Regularum articulis circumscripti, vitam DEO vacantem profiteantur, diligenter custodientes, ut & ipsi intra ambitus suorum Conventuum contineantur, & personis sæcularibus, diversi præcipuè sexûs, etiam ad curritoria interiora, licèt festivitatum tempore, accessum non permittant, Extra limen suum egressi, secundùm laudabilem consvetudinem associati gradiantur, divagationem frequentem evitando, hospitia communia in Civitatibus declinando, quatenus, malevolorum observationi, rectam quoq; intentionem, in suspicionem mali detorquendi, subtrahant occasionem, & lapidem offensionis non incurrant, Cùm quilibet Religiosus, circa Professionem voluntati suæ renuntiet, & in omnibus, à suorum Superiorum dispositone, dependere, habeat necesse; nullus proinde à suo Conventu longiùs absit, & divagetur, quocunq; titulo, & prætextu, etiam colligendæ eleemosynæ vel alio quolibet, sine expressa sui immediati Superioris, in scriptis licentia; eâ vero habitâ, si extra Monasterium degat, in omnibus se, conformiter vocationi suæ gerat, ut limites Instituti sui non excedat; nam si (quod minimè optamus) taliter extrà commorantem, in aliquo delinquere contingerit, animadversioni Nostræ, secundùm Juris dispositionem, noverit se subjacere. Ii verò,

Argum. ex Relat. ne Clerici vel Monachi.

Arg. Can. Pervenit. 17. q. 2.

Trid. Sess. 25. c. 4. de Regularib.

Idem Seff. 6. c. 3. de Reformat. qui ordinariè intra clauſtra reſident, & interdum ad varia, extrà, mittuntur loca, ſi licentioſi & exceſſivi inveniantur, corrigãtur, à ſuis Superioribus, non expectatâ delatione Noſtrâ, quæ ſi interceſſerit, & Superiorum conniventia diſſimulaverit, correctio hujuſmodi ad Nos, uti Delegatū Apoſtolicum devoluta, trahet Nos etiam nolentes, ad munus Authoritatis Noſtræ, ad Inſtantiam Inſtigatoris Officij.

195

Idem Seff. 25. c. 14 de Regul. *Clement. 1 de Privil.* Et quoniam Regulares omnes, Cooperatores ſolummodò, Operariorum in Vinea CHRISTI, ab Eccleſia vocantur, illis ideò in alienã meſſem falcẽ mittere, & Sacramenta, Baptiſmi, Viatici, Extremæ Unctionis, (excepto caſu neceſſitatis) adminiſtrare, Matrimonium benedicere, ſub pœna Excommunicationis, prohibitum eſt; volumus hoc ab ijſdem ſacroſanctè obſervari, inhibemusq; in Eccleſijs vel Cœmeterijs eorum, corpora Fidelium mortuorum, (præter eorum, qui ibidem, aut ſepulchra Anteceſſorum habent conſtructa, aut ſpecialiter & expreſſè, id per Teſtamentum ſcriptum, ſive nuncupativum elegerint) omninò ſepeliri: quodſi ſupraſpecificatas ſepulturas fieri contigerit, non aliàs, niſi invitato Defuncti Parocho, & cum Cruce ac Proceſſione Parochialis Eccleſiæ, & quartâ parte funeralium eidem perſolutâ, abſolvantur. Nullus verò Religioſorum quenquam ad eligendam ſepulturam, vel jam electam immutandam, inducat, ſub pœnis in jure expreſſis.

c. Animarũ periculis de ſepult: in 6. *Trid. Seff. 25. c. 13. de Regular.* Nolumus ignorare Regulares etiam Clericos, quod ad Proceſſiones publicas, ſi invitentur per Ordinarios locorũ, obſtringantur à SS. Canonibus, id quatenus, requiſiti, præſtent omnes, (exceptis ijs qui ſpecialibus S. Sedis Apoſtolicæ exempti ſunt Privilegijs) ſeriò inculcamus, omnibus, ſi quæ intervenerint, de præcedentia controverſijs, Nobis ad dijudicandum & componendum reſervatis. Idem forum Noſtrum, de re non exempta Regulares ſequi tenebuntur.

Seff. eadem c. 12. eod. tit. Decreto Tridentinæ Synodi ſancitum eſt, ut Religioſi, dies feſtos, quos Locorum Ordinarij celebrandos præceperint,

rint, obſervent: mãdamus, illis, quoad hoc Univerſæ Diœceſis Noſtræ ſequi morem & consvetudinem, conformarique in ordine, tempore & modo devotionum, quas, aut poſt meridiem ſerò, aut ad noctem protrahi omninò vetamus. Quia verò abuſiva conſvetudo frequentes SSmi Sacramenti expoſitiones, in Eccleſias ſignanter Regularium induxit, per quod Illius reverentia in populo vileſcit, ideò, inſiſtendo ſpeciali INNOCENTIJ X. Brevi, pro Regno Poloniæ emanato, ne deinceps, Expoſitiones hujuſmodi, ultra Feſtivitates, in quibus id per ſpecialia Privilegia eiſdem conceditur, ſine Noſtra aut Vicarij Noſtri Generalis licentia, fiant, ſub pœnis arbitrarijs prohibemus. Idem ſtatuimus obſervandum de Proceſſionibus publicis, per Regulares peragi ſolitis, quas ultra certum numerum de anno, idq; ſolemnitatibus ſpecificis, accedente itidem Privilegio expreſſo, extra Monaſteria & Conventus, ſine eadem Licentia, abſolvere non præſumant. Quando verò taliter eas, præcipuè cum Sanctiſſimo Sacramento peragent, Dialogos ſeu ſcenas, etiam mutas nõ exhibeant, ne populo magis ſpectaculi, quàm devotionis, Acatholicis verò illuſionis & ſcandali, occaſio ſubminiſtretur. In fundamento Decretorum S Sedis Apoſtolicæ, etiam noviſſimè emanatorum: Præcipimus omnibus Regularibus cujuſcunq; Ordinis, ſub pœna ſuſpenſionis, ne in privatis Capellis, Oratorijs, vel Domibus Magnatum aut Nobilium, Miſſæ Sacrificia celebrare, & Sacramenta adminiſtrare, ſine Sedis Apoſtolicæ Indulto, vel Noſtra, aut Officij Noſtri facultate, attentent. Hoc tandem pro jure Authoritatis Noſtræ Ordinariæ, Superioribus omnium Conventuum Diœceſis Noſtræ, injungimus, ut memores Conſtitutionis CLEMENTIS Papæ VIII. de Ãno 1596 die 15. Martij editæ, Dimiſſoriales, pro ſuſcipiendis per Regulares Ordinibus, ad Epiſcopũ loci, dirigi præcipientis, ordinandos Fratres, non ad quemcunq; Antiſtitem alium, ſed ad Nos, ſeu Rñmum Suffraganeum Noſtrum,

Clementi XI. feb. moder. 1703. die 15. Decembri.

196.

strum, dirigant & transmittant. Omnes, has ordinationes Nostras tum pro Obedientia Nobis, tum pro humilitate Religiosa, intaminatè servaturi.

O Pannach Zakonnych.

NAywyżsi Kośćiołá Bożego Rządźcy, y Swięte Concilia, czułośći Pásterskiey wszystkich Biskupow, osobliwszym sposobem zálecaią Klasztory Pánien Zákonnych, to podobno, maiąc w reflexyi, że według S. Cypriána: Dźiewice Pánu BOGU, przez śluby Zákonne poświęcone, są znácznieysza Trzody Chrystusowey cząstka; dláczego, im wyższa y doskonalsza iest ich Professya, tym większego około śiebie potrzebuią dozoru y pilnośći, áby znáć słábość płći, wielkim podległa niebeśpieczeństwom, łatwego y prędkiego obserwancyi Zákonney, nie uczyniła nadwątlenia. Więc My, powinnośći Nam włożoney czyniąc dosyć, nádewszytko kláśztorom wszystkim, Pánien BOGU poślubionych zálecamy: Zeby w nich Chwała Boska, Zákonne Reguły y Ustawy, świątobliwe zwyczáie, według opisania y postanowienia káżdego z osobna Zákonu, bez nagány záchowáne były. Pod pogrożką Sądu Bo-
Sess. 25. c. 5. de Reg. żego, y wiecznego przeklęctwa S. Concilium Trydentskie upomina Biskupow, áby we wszystkich Kláśztorách Pánieńskich, nie tylko pod Jurisdykcyą Ich, ále też y pod władzą Zákonnikow zostáiących, klauzury wszelki dozor y opátrzenie miały; Przeto, niechcąc tego záćiągáć ná śiebie, áby wszystkie Klasztory Pánien Zákonnych, w okolicznym obmurowániu, y náleżytym záwárćiu zewsząd, y z nich kraty do Kośćiołá y do forty żelázne wszędźie były, drzewiane, iezeliby się gdźie znaydowáły znioższy; Pánna zádna, w Kláśztorze Władzy Nászey podległym zostáiącá, bez Licencyi od Nas, álbo Officyáłá Nászego Generálnego, ná Piśmie dáney, áby się zá klauzurę wyniść,

álbo

álbo wyiacháć nie wáżvłá, ſurowo przykázuiemy; Zoſtáiące záś pod Przełożonymi Zákonnymi, oprocz Náſzego, tákież od Zwierzchnośći Zákonnikow maią mieć Pozwolenie: á ktoreby przećiwko temu wykroczyły, rzeczą ſamą wpádáią w Klątwe. Nie ma mieć tákże do Kláſztoru Pánien Zákonnych, wſtępu zá klauzurę żadna oſoba obca świecka áni duchowna, y ktoby ſię tego ważył, bez náſzey tákieyże Licencyi, nie tylko męſzczyzna ále y białogłowa, tákowey podpáda Klątwie. Maiąc iednák wzgląd ná to, że Kláſztorom Pánieńskim obeyść ſię nie można, bez Spowiednikow, Doktorow, Cyrulikow, Rzemieślnikow, y inſzey potrzebney usługi, poſtánáwiamy: áby Przełożone Kláſztorow, ráz w rok ná to generálną bráły Licencyą od Nas, álbo Officyáłá Náſzego, żeby im ſię oſoby tákie, kiedy ich Klaſztorom potrzebá, zá klauzurę wpuśćić godźiło; przeſtrzegaiąc tego pilno, áby też Oſoby, nie z iákieykolwiek przyczyny, ale dla ſłuſzney potrzeby, wchodźiły, po Klaſztorze dáley, nad mieyſce to, gdźie ich usługa potrzebna, nie chodźiły, y zá klauzurą dłużey nad czas usługi ſwoiey nie bawiły, w czym ſumnienie Przełożonych obowięzuiemy. Do ſkromnośći Zákonney náleży, do krat fortowych nie uczęſzczać, Reguły záś opiewaią, że to bez pozwolenia Stárſzych, y bez słuſzney przyczyny bydź nie powinno: przeſtrzegáć więc tego będą Przełozone, áby to świątobliwie záchowáno było: Zá káżdym rázem wezwáne do krat Pánny, niech pozwolenie biorą, do forty według chwalebnego zwyczáiu, młode oſobliwie y nie dáwne Profeſki, z Socyuſzkámi niech chodzą: przy kráćie ſkromność, w pośiedzeniu y mowie záchowaią: z oſobámi niepotrzebnemi, choćy domowymi zá fortą służącymi, oſobliwie męſzczyzna, bez słuſzney przyczyny y pozwolenia nie rozmawiaią: śmiechow, dyſkurſow nieprzyzwoitych wyſtrzegaiąc ſię; wſzełkiego záś czáſu nad potrzebę, kraty fortowe

Declarat. ibidem.

c. Periculoſo de ſtatu Regul. in 6.

záwarte

záwarte bydź powinne. Stosuiąc śię do Ustaw Kośćielnych, żeby Pánny Zákonne oprocz zwyczaynego swoiego Spowiedniká, od Nas osobliwym sposobem approbowánego, Extraordynaryinych, Swieckich álbo Zákonnych Kápłánow, mieć mogły pozwalámy, z tym dokłádem, áby ćiż dwa álbo trzy rázy tylko do roku, Klásztorowi iednemu służyli, y od Nas albo Officyálá Nászego osobliwą tákże bráli ná to Approbácyą; przed ktorymi, słuszna rzecz, áby śię wszystkie spowiadáły; wszelkiego zás czásu, áby śię Zákonnice przed swoim iednym właśnym Spowiednikiem spowiadáły; rozkázuiemy. Około świeckich Pánien, ktore oddáwáć zwykli Rodźice do Klásztorow ná ćwiczenie, záchowáć to ordynuiemy: Aby bez woli Przełożoney Klásztoru, te ktore śiedm lat nie maią, przyięte, te zás ktore lat dwadźieśćia skończyły, chowáne nie były. Wychodźić y wyieżdżáć áby im śię tákże z Klásztoru nie godźiło, á ieżeliby raz wyszły, przyięte bydź názad nie powinne: społeczności żadney y konwersacyi z Zákonnicámi niech nie maią, ále álbo osobne kázda niech ma mieszkánie, álbo w iedney osobney izbie, od cell Zákonnych odległey, wszystkie pod władzą y dozorem iedney Mistrzyni rostropney y świątobliwey, mieszkáć y ćwiczenia swoie odpráwiáć im należy. Kiedy śię ktora z świeckich Pánien álbo Wdow, do Zákonu prośić, álbo Probantkę do Professyi przypuśćić będźie trzebá, wprzod niżeli Postulantkę do habitu, Nowicyuszkę zás do uczynienia Professyi przypuszczą, Przełożone Klásztorow nam podległych, maią Nas uwiadomić ná Mieśiąc, áby Nowicyuszká, álbo Postulantká od Nas, lub, ieżelibyśmy sami nie mogli, od kogo inszego z Rámienia Nászego deputowánego, examinowána byłá; W czym, áby tákie do Zákonu śię proszące Osoby, w świeckim ieszcze stanie dobrze probowáne, Mistrzynie Probantkom y Nowicyuszkom, áby rostropne, w zákonności ćwiczone, á przytym letnie,

Declarat: Trid. Sess. 25. c. 5. de Regul.

Trid. Sess. 25. c. 57 eod: tit.

áby

áby náznáczone były, pilno Przełożone nápominamy. A ponieważ powołánie do ſtanu zákonnego, z łáſki Bożey y dobrowolnego obránia káżdey oſoby, bydź powinno, wydána ieſt od Kośćiołá Bożego klątew ná wſzytkich, ktorzyby iáką Pánnę lub Wdowę, do przyięćia habitu zákonnego, y czynienia ślubow przyniewálali, álbo wiedząc o tym, rádą, pomocą, lub przytomnośćią ſwoią dokłádali ſię; ktorey klątwie podpádaią y ći, ktorzy przećiwnym ſpoſobem, chcącey dobrowolnie oſobie do Zákonu, przeſzkádzaią y zábrániaią. Ze záś nie tylko Reguły y Slub uboſtwá, ále y SS. Concilia Zákonnym oſobom, włáſnośći wſzelkiey zákázuią, pod karámi w nich wyrážonemi, przeſtrzegamy wſzyſtkie Zákonnice, áby ſwoię Profeſſyą we wſzyſtkim pełniły: Zyćie ſpołeczne y ſtoł wſzyſtkim poſpolity, niech będźie po wſzyſtkich Kláſztorách, oſobnośći żadney w porcyách, y rzeczach do używánia náleżących nie czyniąc; cokolwiek ktorey Pánnie dadzą, daruią, zá iałmużnę, czyli krewni, Rodźice, to wſzytko do ręku Przełożoney, oddáno bydź ma, ktorá według ordynacyi Reguły, ná potrzebę tey Pánny, ktorey dano, dyſponowáć tym będźie, coby nad to zbywáło, ná rozchod Kláſztoru obrácáć ſię powinno; Zálecámy záś przy tym, pilność y ſtáránie Stárſzym, áby wſzyſtkie Zakonnice według możnośći, w rzeczach potrzebnych prowidowane były, uchodząc z przyczyny niedoſtátku, przećiwko ślubowi uboſtwá, okázyi wykroczenia: dláczego áby Pánien do Zákonu, nad tyle, ile ich porządnie intrátá Kláſztoru ſuſtentowáć może, nie przyimowáć, przykázuiemy. Náoſtátek, iáko Zákony święte ſą drogą doſkonáłośći, ták wſzytkie zákonne oſoby poſtępowáć w niey dáley á dáley obowięzuią, dlatego wiele Zákonow, świątobliwym zwyczáiem odpráwuią doroczne Rekollekcye, iákoby Ráchunek czyniąc z poſtępku rocznego: to y My, iáko rzecz wielce zbáwienna,

Idem Seſſ. ead. c. 12. eod. tit.

Trid. Seſſ. ead. c. 2. eod titul.

Declarat. ibidem.

Declarat. Trid. Seſſ. 25. c. 3. de Regular.

F

ną,

ná, wſzyſtkim Kláſztorom Pánieńſkim, oſobliwie Nam podległym, zálecaiąc: áby wſzyſtkie w nich Zákonnice, ná dwie álbo trzy częśći podźielone, od Stárſzych y Przełożonych począ wſzy y żadney nie wyiąwſzy, tę świętą zabáwę Rozmyślánia, przez ośm dni corocznie odpráwowáły, náznaczamy y roſkázuiemy. We wſzyſtkich tych ordynacyach Náſzych, o Chwały Bożey pomnożenie, y duſz ich zbáwienie, z powinnośći Paſterſkiey ſzczegulnie uśiłuiąc

De Teſtamentis.

CUpientes ex animo obviare quotidianis, poſt obitum Beneficiatorum oriri ſolitis difficultatibus, volentesque ad eum finem illa omnia, quæ de Teſtamentis ac ultimis voluntatibus, & de Inteſtatis in Iure communi, ac Libro 3tio Conſtitut: Provincial. necnon Conſtit. Szyſzkovianâ, ac Synodo Łubieniana, expreſſa ſunt, ad amuſsim obſervari: hortamur omnes & ſingulos Beneficiatos, præſertim illos, qui annum quinquageſimum expleverint, vel in debiliori valetudine ſe conſtitutos ſenſerint, ut tempeſtivè, diem ſcilicet & horam, quando Dominus venerit, neſcientes, ultimam ſuam voluntatem per Teſtamentum explicent, idemq; Teſtamentum quotannis revideant, habendo ſemper priùs Iuſtitiæ, & tandem Eccleſiarum ſuarum, aliarumq cauſarum piarum rationem, quatenus etiam ex maſſa ſuæ ſubſtantiæ, aſſignare certam portionem pro Domibus pauperum & infirmorum Sacerdotum, non omittant, cujus portionis memoria, ſigulariter circa approbationem Teſtamentorum, juxta antiquam praxim habebitur, Executores verò Teſtamentorum, approbationem desuper Officioſam quantocyùs procurent, & intra annum de rebus defuncti derelictis diſponant, calculationem coram Nobis, ſeu Officio Noſtro Generali, neceſſariò facturi, ſub rigore pœnarum. Si qui autem Executo-

rum

rum munus in antè gesserint, & calculationem hujusmodi officiosè non expediverint, nec quietationem desuper obtinuerint, ut quod non fecerunt, intra mensem, à notitia præsentium, faciant, seriò mandamus; investigationem, & actionem contra tales, Instigatori Officij, committentes. Circa approbationem verò Testamentorum, ut est anteactis Constitutionibus provisum, de rebus ad Inventaria Ecclesiarum, sive Beneficiorum spectantibus, illorumq; augmento & melioratione, Decani Locorum, quatenus interveniant, seriò invigilabunt,

De usurpantibus bona defunctorum Clericorum, & Intestatis.

MUnus erit Instigatoris Officij, cōtra quoscūq; sive sæculares, sive Ecclesiasticos, res defuncti cujuspiā Clerici, attrectantes vel occupantes, jure agere, ad promulgandam contra ipsos, latæ sententiæ Excommunicationē, & quadrupli pœnam. Quodsi aliquis ex Beneficiatis intestatus decesserit, volumus hac in parte Constitutionem Łubienianam, per Decanos, vel viciniores Parochos, strictè observari,

De Rebus Ecclesiæ non alienandis.

PRæter ea, quæ Jure communi hac in materia sunt definita, firmiter etiam statuimus, Constitutionem Illustrissimi & Reverendissimi Antecessoris Nostri immediati, in qua omnis penitùs alienatio, Rerum & Bonorum Ecclesiæ vetatur, augmentum verò Inventarij demandatur; ab omnibus cujuscunq; dignitatis & qualitatis Beneficiatis, inviolabiliter observari.

De Arendis seu Locato & Conducto.

INterdicimus penitùs & omni meliori modô prohibemus: Locationes Bonorum Ecclesiasticorum, ad triennium, nisi ex certa & justa ac rationabili causa, Nobis ipsis proponendâ, ac præviâ Cõtractûs Locationis hujusmodi, per Nos approbatione in scriptis, idq; cum reservatione Fori Spiritualis ad omnem contraventionis casum; tum ne bona Spiritualia, cùm sint patrimonium CHRISTI, Personis à Fde Catholica alienis locentur; delarantes aliàs nullitatem Contractuum & pœnarum contra secùs facientes extensionem.

De Accidentijs Beneficiatorum.

PArochi omnes, & alij curam animarum exercentes, sciant se, eâ ratione Beneficia Ecclesiastica possidere, Decimas & alios proventus percipere, ut populò suis Ecclesijs subjectò inserviant, & Sacramenta administrent, citra omnem turpis lucri colorem. Quia tamen aut ipsi Curati, propter tenuitatem proventuum congruè subsistere, aut Vicarios, pro commoditate Parochianorum fovere, non valerent, nisi accidentibus quibusdam, in obsequio Ecclesiarum juvarentur, ea sibi, titulo oblationum provenire non ignorent; quare exactionem illorum coactivam, & omnem in ijs depactionem noverint sibi non licere, sed quæ offerentium liberalitas, contulerit, grato animo accipiant & sint contenti, Accidit verò querulari multos, super excessu & exactione hujusmodi accidentium, cui obviando, Decanis locorum committimus, quatenus in suis Congegationibus; super his seriò inquirant, depactantes puniant, & secundùm Nostram, in seorsiva scheda dispositionem, singulis quibusq; Eccle-

Eccleſijs, & Perſonis Eccleſiaſticis, moderamen adhibeant. Diſplicet Nobis impietas ferè eorum, qui vel Succeſſores, vel Executores poſt defunctos exiſtentes, honeſtam pro conditione, & maſſa ſubſtantiæ mortuorum, ſepulturam non curant, quinimò determinatam etiam, pro Suffragijs, animarum eorundem portionem, & alia pia legata, perſolvere contemnunt; ſed etiam placere non poteſt, coloratus in Perſonis Spiritualibꝰ zelus, qui omnia, quæcunque poſt defunctos Parochianos relinquuntur, pro Suffragijs animarum eorundem, cedere debere prætendunt, inopiam & neceſſitatẽ ſucceſſorum minimè conſiderantes: quare laudabilem conſvetudinem, in multis locis obſervavi ſolitam ſequendo, priùs Parochi de quantitate & qualitate in talibus: ſolemnitatis, Appparatûs, Miſſarum &c. ſecundùm placitum & conditionem cujusque, conveniant, deinde de ſolutione paciſcantur. Verùm, cùm hæc ſtatuendo, Perſonis Eccleſiaſticis, obſequio Animarum addictis, exceſſum & depactationem diſtrictè prohibemus, limites pietati & liberalitati Parochianorum non præſcribimus: Dignus eſt enim Operarius mercede ſua.

204

De Sepulturis & Quarta Parte Funeralium.

ANtiquorum & recentiorum Canonum Statutis, ſepulturas mortuorum fieri debere, in Eccleſijs Parochialibus, illis, in quibus cùm viverent, Sacramenta percipiebant, æquè ſanctè ac rectè ordinatum eſt. Quia tamen aut Antenatorum ſepulchra habentibus, aut expreſſè ante mortem eligentibus (de qua tamen electione conſtare omninò debet) eodem jure permiſſum eſt, extra proprias Parochias tumulari: contingit ſæpè oriri controverſias, ſuper Quarta funeralium parte, Eccleſias Parochiales con-

concernente. Nos ijsdem omnimodè obviare cupientes; inſiſtendo diſpoſitioni Juris; & multiplicibus S. Rotæ Deciſionibus, Romanæq; Curiæ Decretis, omnibus tam ſæcularium Eccleſiarum Rectoribus, quàm cujuſcunq; Ordinis Religioſis, etiam quâcunq; Exemptione gaudentibus; ſub pœna reſtitutionis, totius pro ſepultura deſtinatæ ſummæ, alijsq; arbitrarijs inhibemus, ne quandocunq; corpora defunctorum, ſive vigore Teſtamentariæ ordinationis, ſive in Sepulchris Majorum tumulari contigerit, id attentare audeant, niſi priùs ſolutâ hujuſmodi quartâ parte, ſive per ſe, ſive per defuncti ſucceſſores, quam Parochi, ſeu ad quos ſepultura de jure ſpectat, non majorem prætendere debent, niſi ad proportionem, determinatæ pro ſepultura quotæ, ita videlicet, ut quarta illius pars pro Eccleſia, cujus defunctus Parochianus erat, proveniat.

c. Ex parte de Sepult.

c. Dudum hoc tit.

De Confraternitatibus.

NOn alio fine Piæ Confraternitates ſunt inſtitutæ, niſi ut vota Fidelium in unione Charitatis, ſine qua omnia perperam aguntur, fundata, faciliùs à Domino ſuſcipiantur: hæc autem Confraternitatum, Noſtræ Juriſdictioni & Viſitationi ſubjectarum Charitas, & pietatis mutuæ exercitium, ut quàm optimè ordinetur, Authoritate Ordinariâ provideri neceſſe eſt. Mandamus proinde, & ſub pœna Excommunicationis inhibemus, ne quarumcunq; Confraternitatum Præfecti, Seniores, Officiales, aliqua Officia, & obligationes, niſi præviâ Noſtrâ, ſive Officii Noſtri diſcuſſione & approbatione, ſtatuere præſumant: ſicut enim cũ Noſtro beneplacito inſtituuntur, vel introducuntur, ita etiam per Nos ordinari, & ſtatutis obligari debent. Multa damna & præjudicia, Congregationibus hujuſmodi intervenire ſolent, ex incircumſpecta Officialium electione; Prohibemus itaq; ſub nullitate Electionis, ne

ſine

sine Parochi Loci, & Promotoris fiant, qui quidem Parochus & Promotor Præsidentes, tales elegi curabunt, qui exemplô ad pietatem, aliasq; virtutes cæteris præluceant. Non eligantur autem ad Officia præsertim superiora egestate laborantes, ne loco subsidij, detrimentum, (ùt sæpiùs contingit) Confraternitas patiatur, & Fundatores piâ intentione frustrentur. Curabunt verò Confratres habere Librum seu Album Confratrum, Sodalitatem ingredientium; item alium perceptorum & expensorum proventuum, quos fideliter describant. Non negligent Sessiones statutis temporibus peragere, in quibus de bono Confraternitatis conservando & promovendo, de Officijs ac eorum rationibus, alijsq; negotijs huc pertinentibus, pertractabunt. Habeant quoq; Carbonam seu scrinium, in quo proventus, oblationes, & alias obventiones conservabunt, cujus una clavis penes Præfectum, altera penes Thesaurarium erit, nec uni sine altero aperire illud licebit. Calculationem de perceptis & expensis, congregatis Officialibus in præsentia Capellani seu Promotoris, si ille fuerit, aliàs Parochi, quolibet quartuali instituant. Inventarium suppellectilis, & Jurium ac Privilegiorum fideliter conscriptum, diligenter sub clausura asservetur, & ab hac clavis penes Capellanum sive Parochum una, altera penes Seniorem Confraternitatis maneat. Quæ omnia ut exactè serventur sub pœna privationis Officiorum, & inhabilitatis ad alia seriò demandamus.

De Hospitalibus.

Piæ Christi Fidelium in erigendis præsertim & dotandis Hospitalibu,s fundationes, incitamenta sunt aliorum ad Charitatem erga Deum & proximos, cùm ea, quæ pauperibus ex charitate tribuuntur, ipse vendicet Salvator dicens: Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.

stis.

ſtis. Quantò verò Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, tantò maledictioni ſubeſt Divinæ, qui non eſt recordatus facere miſericordiam. Reperiuntur tamen adeò immemores charitatis proximi & obligationis ſuæ, Hoſpitalium Proviſores, qui pane ſatiantur pauperum, cùm illi fame pereunt, ut meritò conqueri contra illos, ſit neceſſe: panem viduarum comederunt, & pupillos opreſſerunt; alij verò per negligentiam in vindicandis proventibus, famelicos eſſe indiſcretè patiuntur. Nos itaq; quibus Protectio Locorum & Perſonarum hujuſmodi incumbit, hortamur omnes Hoſpitalium Proviſores & Curatores, ac ſub diſtricti Judicij comminatione præcipimus, ut deinceps diligentiores, ſe in ſuſcepto officio ſtudeant exhibere, facultates & proventus à debitoribus qvôvis meliori modô, etiam jure vindicent, & pauperibus æqualiter, etiam nullo perſonarum reſpectu habitô, diſtribuant. Contractus ſuper bonis, quæ Hoſpitalia concernunt, cum debitis clauſulis & ſolemnitatibus, cum Arendatoribus ineant, ne pauperes injuriam patiantur. De omnibus verò Proventibus & reditibus Hoſpitalia concernentibus, rationem fidelis diſpenſationis ſuæ, Decano Loci, ſub tempus Congregationis Decanalis faciant; quòdſi verò Decanus vel Commiſſarius non debitam diſpenſationem aut negligentiam adinvenerit, quatenus ad Nos, vel Officium Noſtrum deferat, seriò præcipimus. Cùm autem Fundationes Hoſpitalium duntaxat pro pauperibus debilibus, victum manu quærere non valentibus, aut omninò mendicare erubeſcentibus, inſtituũtur, tales & non alios, ſuſcipere Proviſores tenentur, & tenebuntur. Ipſi verò pauperes pro collata ſibi portione, Orationes tam in Eccleſiia, quàm in Hoſpitalibus, ſignanter pro Fundatoribus & Benefactoribus fundere Domino, frequentiores Confeſſiones & Communiones facere, Miſſas in loco proprio ſedendo, non per Eccleſiam curſitando, audire, per

Paro-

Parochum ſeu Præpoſitum Loci, & ipſosmet Proviſores compellantur. Diligens præterea cautio eſt adhibenda, ut mares cũ fæminis non promiſcuê in hoſpitali, ſed quantùm poſſibile eſt in ſeorſivo cubiculo maneant, nam Domus etiam hæc DEO ſacrata eſt. Demum obſervandum eſt, talium locorum curam gerentibus, ut non plures ad Hoſpitale pauperes ſuſcipiantur, quàm quot congruè ſuſtentari de Proventibus poſſunt.

De pluralitate Beneficiorum, & Reſidentia Beneficiatorum.

BEneficiati curam animarum habentes, ideò Paſtores dicuntur diciq; debent, quòd eorum præcipua ex vi muneris ſit obligatio, Gregem ſibi commiſſum cuſtodire, Oves ſuas nôſſe, easdemq; verbô & exemplô paſcere, & in vitam æternam ſaginare: Ad quòd præſtandum, tum conſcientiâ, tum SS. Canonum Decretis rigoriſſimè ſtringuntur. Verùm latere Nos non poteſt, quòd multi, eorum, plura Beneficia Eccleſiaſtica incompatibilia, præſertim curam animarum annexam habentia poſſidentes, & paſſim circa nullum ex ijs perſonaliter reſidentes, per mercenarios officium Paſtorum exercent, ſicq; oves ſibi creditas deſerentes, periculo diſperſionis, ſi tantùm non raptûs & depopulationis à lupis exponunt; cùm tamen ſangvinem earum de manibus illorum, in die furoris ſui requiſiturum ſe Dominus comminetur. Quare Nos, ex vi muneris Noſtri, & SS. Concilij Trident: Diſpoſitione, Epiſcopos ad tollendum hunc abuſum graviter admonente obſtricti, omnibus & ſingulis, pluriũ Eccleſiarũ videlicet: Cathedralium duarum, vel Cathedralis cum Parochiali, vel trium Collegiatarum, vel duarum aut plurium, curam animarum annexam habentium, in Noſtra ſive pluribus Diœceſibus, Poſſeſſoribus, ſtrictè præcipimus, &

Seſſ.6.c.2. Et Seſſ.7. c.2 4.5. Et Seſſ.23. c.1. Et Seſſ.24 c.7. de

Refor. cum alijs ibid. citt. 209

mandamus: ut in ſpatio duorum Menſium, à publicatione præſentium, computandorum, Diſpenſationes Apoſtolicas ſuper retentione taliũ Beneficiorũ, tum & nõ reſidentia, ubi hæc requiritur, Nobis exhibeant; aliàs ad ea quæ Canonicis ſanctionibus, circa hæc ſunt definia, extunc procedemus. Sanè injuſtum eſt ut alter eſuriat, alter autem ebrius ſit, & unus occupet loca multorum, quòd certè fit propter Beneficiorũ pluralitatem, cùm per hanc panis eſurientibus ſubtrahatur, & abundantibus, occaſio luxûs exceſſuumq; ſubminiſtretur: quando itidem Beneficiati penes ſuas Eccleſias rarò reſidẽt, exinde, Eccleſiæ, Beneficiorumq; ædificia deſolantur, Cultus Divinus diminutionem, Fundationes detrimentum patiuntur, ac Parochiani debitis obſequijs & Sacramentorum, adminiſtratione deſtituuntur. His proinde & alijs obviando malis, præcipimus diſtrictè, ut omnes qui Beneficia Eccleſiaſtica cum cura animarum, vel alia perſonalem reſidentiam requirentia poſſident, penes Eccleſias ſuas reſideant, nec ſe ab illis ultra duos menſes, idq; ex cauſa legitima ac cum facultate Noſtra vel Officialis Generalis, abſentare audeant & præſumant; qui verò Eccleſias plures quomodocunq; incompatibiles retinent, eaſdem intra præfatos duos menſes, ſeu veriùs priùs obtentas dimittant, & reſignẽt; Statuimusq; ut quicumque in poſterum pro Diſpenſatione ſuper pluralitate Beneficiorum, ad Sedem Apoſtolicam ſupplicare voluerint, Literas Patentes, ſeu Teſtimoniales, ſuper veritate Narratviæ, à Nobis ipſis non aliter nec aliàs, accipere teneantur. Omnes autem Beneficiati, circa Eccleſias ſuas, tam in abſentia, quàm in præſentia ſui, Presbyteros inquantùm fieri poteſt, Seculares, eoſq; idoneos & Proviſos, Manuales verò Vicarios, nonniſi per applicationem Noſtram vel Vicarij Noſtri Generalis foveant, Regularibus ſolùm in defectu, (quem dari hîc non putamus) adhibitis, cùm ſtatuta Provinaialia nominatim id prohibeant.

De

De Fabrica Ecclesiæ.

SUmmopere dolore animi commovemur, quòd audimus, in Diœcesi Nostra multis locis, ruinas & desolationem Ecclesiarum per negligentiam & incuriam Beneficiatorum conspici, cùm tamen Proventus Ecclesiasticos trifariam, videlicet: pro sustentatione Beneficiati, subsidio pauperum, & conservatione Ecclesiarum dispensari, juxta SS. Canones oporteat; sed multi reperiuntur, qui plùs in usum proprium congregata ex bonis DEO dicatis convertunt, vel labe avaritiæ infecti, colligentes multa, Decorem Domûs Domini prorsus negligunt. Quare hortamur omnes in Domino, & mandamus, ut unusquisque Beneficiatus, pro posse & sufficientia sui proventus, sarta tecta Eclesiæ suæ reficiat & conservet: quodsi verò Proventus Ecclesiastici non suffecerint, Parochianos & respectivè Patronos ac Collatores, qvi nimirum Ecclesijs per suos Antecessores fundatis gloriantur, adminicula & juvamina petiturus accedat, ut & illi ad has restaurandas pro sua obligatione concurrant, aliàs si recusaverint, ipsos, juxta S. Concilij Trident. dispositionem, ad Nos Officiumq; Nostrum Ordinarium, jure conveniat.

De Judæis.

QUoniam non temporalium rerum commodô; sed æternæ potiùs hæreditatis intuitu, ad suscipiendam Orthodoxam Catholicam Fidem, Infideles allici oportet, magna Summorum Pontificum semper fuit circa id sollicitudo, & signanter SSmi Dñi Nostri CLEMENTIS XI. feliciter moderni pientissimus zelus pro animarum salute, cujus Bullam intuitu conversionis Infidelium, præcipuè Judæorum emanatam, & alias scilicet fel. record. Pauli III. & Gregorij XIII. innovantem, pro majori omnium intelligentia & commodo, nativo idiomate expositam, sub pun-

ctis ſequentibus, inviolatam obſervari volumus, & mandamus.

211 I. Uważaiąc Oyćiec Swięty, że nowonáwroconym, przez Chrzeſt do wiáry Swiętey Katolickiey, ſekty Zydowſkiey ludźiom, ták ſtárym, ták młodym, pod Oycowſką mocą zoſtáiącym, lub wolnymi ſobie będącym, ich krewni y powinowáći, dla nienáwiśći Wiary Chryſtuſowey, wielką krzywdę, w dobrach doczeſnych czynią, od ſukceſſyi, ktora im práwem przyrodzonym należy ich oddaláiąc, y onych niesłuſznie wydźiedźiczáiąc, á zátym w uboſtwie zoſtáwuiąc, do źle záchowánia ſię w Wierze Swiętey, á czáſem y odſtąpienia iey, tákowym ſpoſobem, y wynalazkiem przywodzą; Przeto tenże Oyćiec S. Powagą Apoſtolſką, wſzyſtkie Urzędy Duchowne y Swieckie napomina, żeby tákowym nowonáwroconym Kátolikom, z pomienioney ſekty, y inſzey tym podobney, rękę podáwali, y krzywdy im czynić nie dopuſzczali, y ieżeliby ná zdradę, wydźiedźiczenie, y oddalenie od ſukceſſyi dobr, ták Oyczyſtych iáko y Máćierzyſtych, y iákichkolwiek inſzych ná oſoby ták náwrocone zpadáiące, niewierni Zydźi, Rodźice álbo krewni ich, w iákimkolwiek ſtopniu krewnośći zoſtáiący, iákie mieli dáwne Práwa, Konſtytucye, Uchwały, álbo nowo uknowáne, prywatne, lub poſpolite, od iákieykolwiek Juriſdykcyi potwierdzone; tedy w ninieyſzey okazyi, náwrocenia ſię do wiary Katolickiey, iákiegolwiek Zyda, álbo inſzego niewiernego, choćby pod władzą Rodźicow zoſtáiącego, y lat zupełnych nie maiącego, wáloru żadnego mieć nie maią, ále ták náwroceni Chrześćiánie, powinni ćieſzyć ſię ſukceſſyą y działem, dobr Oyczyſtych y Maćierzyſtych, y iákichkolwiek inſzych z obowiązku krewnośći, álbo Powinowáctwa do śiebie należących. Toż ſię ma rozumieć o Teſtamentách, ktore tákże żadney wagi mieć nie maią ani mogą, ieżeliby przećiwko nowonáwroconym Kátolikom,

kom, Rodźice albo krewni, tákowemi teſtámentami ich od ſukceſſyi oddalali. A ieżeliby zás niewierni Rodźice, 212 krewni, zeſzli z tego świátá bez teſtámentu, á dobra y ſummy iákie zoſtáwili, tedy tákich dobr y ſumm, nikt ſię tykáć, uſurpowáć, y táić ich ważyć ſię nie ma, pod wielkim karániem, ále bliżśi krewni Zydźi, y ktorzykolwiek ſąśiedźi, obwieśćić będą powinni nowonáwroconego Kátoliká, y przy nim Urzędowny Inwentarz, á potym podźiał według práwá uczynić.

II. A ponieważ Zydźi z wrodzoney ſwoiey złośći y łákomſtwa, Kátolikow zwykli lichwámi niſzczyć, y tákowym ſpoſobem, ten národ zwykł ſię bogáćić, tedy ieżeliby iákie ſummy, lichwiárſkim nábyte ſpoſobem zoſtáły, po Rodźicách albo krewnych, tych ludźi, ktorzy ſię z teyże ſekty Zydowſkiey, do wiary Kátolickiey náwroćili, tákowe ſummy maią bydź cale oddáne tym, od ktorych niesłuſznie, według kontraktu lichwiarskiego wźięte były, ieżeliby oſoby ukrzywdzone żyiące y wiadome były. Ieżeliby zás tákowe oſoby pomarły, áni bliskich Sukceſſorow nie zoſtawiły, tákowe ſummy przez lichwę nábyte, ná Kośćioł zpadaiące, powinne bydź ná náwroconych z Zydowskiey ſekty, y inſzego niedowiarſtwa Chrześćian obrocone, y oni bliżśi będą tey iałmużny, niżeli inśi ubodzy, dla chętnego y nabożnego Chrztu przyięćia. Do tego ták nowonáwroconym z Zydowſkiego niedowiarſtwa Kátolikom, do otrzymania Poſſeſſyi, y uczeſtnictwa Práw y Przywileiow, w káżdey Prowincyi y Mieśćie, nikt nie ma przeſzkádzać, áni im drogi do funkcyi y urzędow támowáć, tym bárźiey pod wielkiemi kárámi, nie powinien ſię z nich nikt nárrząsać, obelgi y krzywdy im czynić, żydowſkiey genealogii ná oczy wyrzucáć.

III. Ze zás z konwerſacyi, złych álbo dobrych obyczáiow nábywamy, nápomina Oyćiec Swięty wſzyſtkie

Duchowne Urzędy, żeby tákowi nowonáwroceni Kátholicy, w Táiemnicách Wiáry wyćwiczeni, y ochrzczeni, żadnego ſpołkowánia z Zydami, y inſzemi Niewiernymi, przynámniey przez czas znáczny nie mieli, żeby iáko ſię tráfia z ich przewrotney perſwazyi, w recydywę niedowiarſtwá nie wpadli; y o to ſię maią ſtáráć Przełożeni Kośćielni, żeby ile może bydź, náwroceni z Zydow Kátholicy, złączenie Małżeńſtwa S. z urodzonymi Kátholikámi odpráwiali, nie z tákowemiż iáko y ſami, á to dla lepſzeutwierdzenia w Wierze Swiętey,

IV. Przeſtrzegáć będą Przełożeni Kośćielni, żeby tákowi náwroceni Kátholicy, umarłych ſwoich tákże ochrzczonych, po Chrześiáńſku, nie Zydowſkiemi Ceremoniámi chowáli, żeby Sábbatu, y inſzych świąt ſtarego Teſtámentu nie obſerwowáli, ále ná Mſze Swięte y Kazánia do Kośćiołá Kátholickiego uczczęſzczáiąc, we wſzyſtkim ſię do obrządkow Kátholickich konformowali, ktorzyby záś tákową dyſpozycyą Apoſtolſka gardźili, y iákiekolwiek ślády niedowiarſtwá Zydowſkiego, w ceremoniách pokázywáli, tákowych po uczynioney inquizycyi, Urzędy Duchowne y Swieckie, ſurowo karáć maią, y ktoby ważył ſię tákowych ninieyſzey Konſtytucyi wyſtępkow bronić, ten procz inſzey káry, podpadáć będźie pod Klątwę Bullæ Cænæ Domini, contra fautores Hæretcorum, ferowaną.

V. Ieżeliby Syn ktorego Zydá álbo Corká, nie maiąc lat doskonáłych, y będąc ieſzcze pod władzą Rodźicow, zá nátchnieniem Duchá S. Wiárę Kátholicką przyięli, y ſubſtancyi álbo ſumm iákich, dowćipem y prácą ſwoią nábyli, tedy Rodźice ich niewierni, nie powinni pártycypowáć, áni pożytkow, áni ſukceſſyi tákowych ſumm pozoſtałych, per modum peculii Caſtrenſis. Przećiwnym záś ſpoſobem, Rodźice w ſwoim niedowiarſtwie zoſtáiący, nowonawroconym, lubo przećiwko woli ich y władzy

Rodźi-

Rodźićielſkiey, ſynom y corkom, prowidowáć náleżyte y wczeſne wyżywienie, y corki ſwoie wypoſażyć, według proporcyi ſubſtancyi ſwoiey, będą obligowáni. Ieżeliby záś przyſzło náwroćić ſię Rodźicom, á dźieći były minorennes, tedy maią bydź pod władzą Rodźicow przywrocone; nie godźi ſię bowiem, áby Rodźice dla Wiary S. przyiętey, rodźićielſkiey władzy odſądzeni byli, y dźieći zoſtáwały w błędźie: Dláczego nápominámy wſzelkich Pánow y Zwierzchnośći, áby ták náwroconym Rodźicom, dźieći ich, gdźiebykolwiek zoſtáwały, wydáć kázáli. Co wſzyſtko, żeby do nálezytey przyſzło exekucyi, y pożądánego ſkutku, wſzyſtkich wobec y każdego z oſobna Przełożonych Duchownych y Swieckich, upominamy, y requiruiemy, dla miłośći BOGA, y bliźniego: żeby tákich nowonáwroconych, z niedowiarſtwá Zydowſkiego y iákiegokolwiek innego, rádą, pomocą, náuką zbáwienną, ſubſtancyą, y pożywieniem ſupplementowali, y ratowáli, od przećiwnych impetycyi, y krzywd wſzelkich bronili, y iáko nowe ſzczepy, w Ogrodźie Kośćiołá S. dobroczynnośći ſwoiey źrzodłem, y żywemi politowania Chrześćiáńſkiego wodami podlewáli, ſowitey zá to od Goſpodarza Niebieſkiego czekáiąc nadgrody.

Ná Oſtátek, ná fundamenćie Praw Duchownych, y Konſtytucyi Koronnych, My Władza Náſzą przykázuiemy, wſzyſtkim niewiernym Zydom, áby pod wielką winą y ſurowym karaniem, Chrześćian zá ſługi y służebnice chowáć; Katholikom záś, áby służyć u Zydow pod iákimkolwiek tytułem y prætextem, nie ważyli ſię: á to dla niebeſpieczeńſtwa świąt, y Poſtow od Kośćiołá poſtánowionych, niezáchowánia, y z ſpołecznośći podeyrzaney iákiego upadku, á ztąd w Wierze y dobrych obyczáiách zepſowánia: á co naywiękſza niesłuſzna rzecz, áby wolnośćią Synow Boſkich, udárowáni Práwowierni, mieli bydź, grzechu y niedowiarſtwá niewolnikow, sługámi.

CON-

215

CONCLVSIO.

IN his ſalutaribus Conſilijs, Monitis & Ordinationibus ſanciendis, ſi quod ſtudium Noſtrum fuit; profectò idem Vos, in illis ſervandis atq; exequendis usqueadeò diligenter præſtare oportet, ut vel ex hoc ipſo, pro obedientiæ voto, quam Nobis debetis, in dies magis, tum in gloria DEI promovenda, tum in ſalute veſtra & animarum procuranda, conſtet fructus Vocationis Veſtræ. Hanc itaq; Paſtoralem Noſtram Epiſtolam quilibet Curatus domi ſuæ habebit, & retinebit, quatenus omnia, quæ in ea ſalutariter ſvadentur, ordinantur & præcipiuntur, ſtudiô revolvat, memoriâ retineat, & opere adimpleat, Quare ſicut Viſitatores Eccleſiarum requirimus, ut illam ſibi circa actum Viſitationis exhiberi faciant: Ita precamur Eum, qui habitat in Conſilio juſtorum, ut omnibus adjutrice ſuâ gratiâ aſſiſtat: In cujus Nomine, Paſtoralem unicuique Benedictionem ex animo impertimur.

Ut autem præmiſſa ad notitiam omnium perveniant, volumus ut Epiſtola hæc Noſtra Paſtoralis typis impreſſa, per Officiales & Decanos Foraneos, ad Eccleſias tam Sæculares, quàm Regulares, ſingulis exemplaribus penes quamlibet Eccleſiam relictis, transmittatur. Datum Kielcijs in Palatio Noſtro Epiſcopali. Die XIII. Menſis Septembris, Anno Domini 1720,

CONSTANTINUS EPISCOPUS.



Albertus Ceypler U. J. D. Scholaſticus Colleg. SS. OO. Crac. Actorum Curiæ Suæ Illuſtr. Celſitudinis Notarius, mpp.

6

